

LVCÆ

FRVTERII

BRVGENSIS

LIBRORVM

Qui recuperari potuerunt

RELIQVIÆ.

Inter quos

VERISIMILIVM LIB. II.

Et VERSVS miscelli.

*Additus* IVLII SEVERIANI  
*prisci scriptoris liber*

Omnia nunc primùm edita, curâ

V. N. IANI DOVSÆ A NORTVYCK.



ANTVERPIÆ,  
Apud Christophorum Plantinum.

Id. CIId. LXXXIV.

LVCÆ  
FRVTERII  
BRVGENSIS

LIBRORVM

Qui recuperari potuerunt

RELIQVIÆ.

Inter quos

VERISIMILIUM LIB. II.

Et VERSVS miscelli.

*Additus* IVLII SEVERIANI  
*prisci scriptoris liber*

Omnia nunc primùm edita, curâ

V. N. IANI DOVSE A NORTVVYCK.



ANTVERPIÆ,  
Apud Christophorum Plantinum.  
ID. CIO. LXXXIV.

In Bibliotheca D. Corvini  
suprema Laurentiana  
Prossidis

I. LIPSIUS

IANO DOVSAE

A NORTWYCK

S. D.



ERE mihi saepe adfirmasti. inter prima ingenia Belgij nostri, imò Gallia, Lucas Fruterius fuit. Scripta eius indicat: quæ diu adseruata, & nunc in lucem protracta tuâ vnius operâ, vidi & legi libens. Et quanquam adfecta ea potius, quàm confecta (mors enim interuenit, & curas eas omnes abrupit:) tamen facile de adolescentis eius ingenio iudicioq. æstimare est, ἐν τῶν πρώτων τῶν ἀνδρῶν. Stylus electus, reconditè elegans: rerū varia cognitio: notarum subtilitas: censuræ maturum quoddam iudicium. & antè omnia nescio quid altum & ingenuum quod spirat in eius scriptis: quodq. animā mihi obijcit non è plebe.

A 2

Benè

<sup>4</sup> Benè ergo Doufa tu & amicè, qui hæc vulgas. nec memorię magis eius & laudi consultum is, quàm studiis iuuentutis. Etsi enim multa ex istis dicta iam & obseruata aliis (quid mirum! cū scripta hæc, nisi fallor, ante annos iam viginti) tamè non pauca etiam insunt, quæ nouitate placebunt: & ex ijsipsis quæ dicta aliis, tractata quædam aut probata hic aliã viã. Denique, vt video, versus etiam eius adiungis. quæ omnia nõ dubiè gratum iucundumque videre litteratorum imæ & mediæ caucę: ad quos crebra laus & fama Fruteriani ingenij peruenit, scripta & monumenta nulla. Quæ nunc quidè felicitis & æterni tui nominis auspicijs edita, & optimi Chalcographorũ typis, non desperant viam terere posse Æternitatis. Vale.

LVCÆ

<sup>5</sup>  
LVCÆ FRUTERII  
BRVGENSIS VERISIMI-

LIVM LIBER I.

CAPVT I.

*Festi Pompeij locus emendatus.*



MNIBVS credo modis obscurum est, quid velit Festus Pompeius eo in loco ubi *Paricos questores ait esse eos, qui solebant creari causa rerum capitalium querendarum.* Et sanè rationem habent illi, qui hinc dubitant. si modò aliquando dubitatum est ab aliquo. Nam Festi quidem ratio est præclara & illustris omnibus; ac ipsum *Questoris* agnomen illis querendum erat, qui velent hunc Festi locum à se non ignorari. Nos olim hoc studioforum gratiã dedimus, ut diligenter videremus, quid ab hoc *Pratorio Questore* in varias prouincias persequendo, *lucello datum* cum Poëta doctissimo referre possemus. Et sanè nisi multum fallimur, aliquantillum *lucelli* patet in tabulis Festi Pratoris mei. Nomina verò ita in illis se habent:

.... *Capitalibus unde. .... cidi appellanter.*

Ecce iam parer secundum has testamenti Pompeiani tabulas dari deberè. ut enim in litura sint, de *Questoribus* tamen agi *Capitalibus* præclare intelligimus; & quid de his tabulis contra



*Paricos* iudicium detrectantes pronuntiandum sit, etiam videmus. Itaque de robore hoc tabulario, & de consilij sententia, censemus iubemusque, ut *Parici Quastores*, qui in alienam possessionem nullo suo iure venerunt, *Parricidi Quastoribus* locupletibus, affiduis, & suis hæredibus locum cedant, possessionemque eiurent. *Hæc sicce exacta sunt, edictōq; iussu Coss. Pompeio \* & Lucio Frigi Pisone. De Quastoribus parricidij locus est elegans in Pomponij Enchiridio singulari, de origine Iuris, Digest. lib. 1. his verbis. Et quia de capite cuius Romani iniussu populi non erat lege permissum Coss. ius dicere, propterea Quastores constituebantur à populo qui capitalibus rebus præfessent. hi appellabantur Quastores parricidij. quorum etiam meminit Lex XII. Tabularum.*

## CAPVT. II.

*Ouidij, & Tibulli loca aliquot emendata & asserta: & alter Virgilij locus vindicatus.*

**C**redo equidem multorum fuisse curam, ut quantum bonis auctori bus suo studio professe possent, tantum & illis benignè tribuerent, cum alij loquaces commentarios ederent, alij verbum aliquod rarius explicarent, alij denique tropos & schemata persequerentur: quibus ego nec infelicis quicquam, nec magis Grammaticum duco. Credo equidem quæ dixi omnia summo studio à superioribus factitata. Sed etiam illud credo, eisdem à nostris hominibus, qui acutius quiddam & sublimius sapiunt, parum omnino

non referri gratiæ non debeat. Alius verò est hodie doctiorum labor, alia industria. illi enim conquisitis passim scriptis codicibus auctoribus bonis eam dignitatem reddunt, quæ suis aliquando temporibus habuerunt; aut si id fallit, ingenio suo ad eam rem pudenter tractandam utendum iudicant. quæ ratio mihi (nam omninò libris manuscriptis careo) pænè semper sequenda fuit. nec pænitet tamen consilij; imò interdum iuuat intelligere ab amicis meis quibus manuscriptorum festiua est copia, locum aliquem quem ad illos miserã ita se habere in scriptis libris, ut antè multò conieceram legi debere: ut illud quod aliquando in Ouidio annotaui.

*Digna mouere fuit certè viuosq; virosq;*

*Sed neq; tum vixi, nec vir, ut antiè, fui.*

De hoc Nafonis versu scripseram ad Gulielmum Cantherum iuuenem doctum, meique amantissimum. rescripsit ille gratulabundus tantundem literarum esse in codice amici cuiusdam sui, qui Ouidij opera manuscripta apud se haberet. quod tamen ita non mouit me, cum ego legem istiusmodi reciprocationis nò ignorarem, ut non multò prius in Verisimilia hæc coniecerim, & indubitato affirmarim lectori locum ita esse emendandum, ut ego vellem. Atque apud Ouidium lib. 1. 1. Ponticarum, peccatum est ab indoctis. vbi enim legitur:

*Ore ferant grates, quoniam non possumus ipsi,*

*Dij tibi: qui referent, si pia facta vident.*

Legendum omninò est, & Ouidij venustas id requirit:

\* Festum, ac senectutem designat, ut pote binominem, et que ad vernaculum Fruterici cognominis insignitum allusio.

*U referant grates, quoniam non possumus ipsi,  
Dij tibi: qui referent, si pia facta vident.*

Sed illud miror Io. Pierium virum doctissimū in Virgilio id non vidisse elegantiaē. nam vbi est, & rectissimē est:

*Pan etiam Arcadia mecum si iudice certet,  
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.*

Ille in priori versu pro *Etiam, Deus* legit ex nescio quo exemplari. quasi verò non pēdeant omnia à superioribus: & languidam reddant sententiam hi versus, si legatur *Deus*. Et tamē hoc etiam Pierij auctoritate adducti Antvverpienses retinuerunt. Sic & in illo Tibulli peccatum est: nam vbi vulgò legitur:

*En ego cum tenebris tota vagor anxius vrbe,  
Securum in tenebris me facit esse Venus.*

Deicere ausim Tibulli manes Geniumque, ita scriptum à politissimo auctore, ut subscribam:

*Securum tenebris me facit esse Venus.*

Et sic Ouidius eadem de re:

*Mirabar, tenebris si quis iturus erat.*

Ac Tibullus ipse:

*Ad iuuenem tenebris sola puella venit.*

M. Antonius Muretus, quem honoris causa nomino, versum hunc in aliquot libris reperiri affirmat, in aliquot abesse, & duos tresue alienos versus adfert, quos non adscripsi, quia adulterinos scio. Purat itaque Muretus ex hac diuersitate aliquid vitij subesse Tibulli loco. Ego verò si legatur vti ipse sentio iudicoq., Tibulli genuinum esse non dubito. Simile est in illo eiusdem Poëtae ver-

versu: *Abstineas auidas mors precor atra manus,*

*Abstineas mors atra precor.* Hicidem vir doctissimus postquam variorum alienissimos versus adduxit, parum referre ait, quam lectionem sequamur. ego contra sentio, & ita omninò legi & scribi iudico, vt venustas Tibulliana requirit, & reciperationis nostrae iam probata consensio. Nunc aded cum in hoc poeta sumus, vnum aut alterum eius carmen emendemus licet. Itaque vbi legitur:

*Tisiphoneq, impexa feros pro crinibus angues  
Saut, & huc illuc impia turba fugit.*

Ego cum Virgilio scribendum puto *Impexa*. Sic enim ille de iisdem Furiis: *Ceruleosq, impexa crinibus angues Eumenides.* Certè illud *Impexa* hic locum non habet, nihilque energiae secum adfert: imò nō satis credo Latinissat. Nam quod idem Tibullus scribit: *Longos incompta capillos:* id eam rationem non habet, ut in superiori versu, *Impexa*, tolerari possit. Nam aliam omninò sententiam facit ab illo priori. Addam vnicum istis locum, in quo elegantiam fortè secutus magis videbor, quam rei veritatem. Sed ego me vtrumque à doctis & bonis ablaturum esse confido. Ait Tibullus:

*Heu serò reuocatur amor, seroq, iuuenta,*

*Cum vetus infecit cana senecta caput.*

*Tam studiū forma est, coma cū mutatur, vt annos*

*Disimulet viridi cortice iuncta nucis.*

In tertio versu libenter legam: *Coma tum mutatur.* praesertim cum de *Cano capite*, priori versu

IO LVCÆ FRVTERII BRVG.  
locutus sit. & certè in codice manuscripto Da-  
nielis nostri est: *Coma tunc mutatur.* quod paria  
facit cum hoc nostro. Sed hæc omnia ipsa versus  
& sententiæ æconomia difertè euincunt. In supe-  
riori eadem later elegantiã, quæ in istis Tibulli  
versibus, quos subscribam, non ab omnibus cre-  
do obseruatur:

*Non tibi sunt tristis cura, non luctus Osiri,  
Sed chorus, & cantus lenis, & aptus amor:  
Sed varij flores, & frons redimita corymbis;  
Fusa sed ad teneros lutea palla pedes,  
Et Tyria vestes, & dulcis tibia cantu,  
Et leuis oculibus conscia cista sacris.*

Hic ter iteratur *Sed*; etiam Et ter repeti vides,  
quod vtrumque poetice artis est caput vnicum;  
veruntamen si eodem in versu concurrat, nescio  
quid venustius secum ferunt: ut in illo eiusdem:  
*Sed corpus terigisse nocet, sed longa dedisse  
Oscula, sed femori conseruisse femur.*

CAPVT III.  
*Plautus emendatus.*

Quantum noceat magnis ingeniis Gram-  
maticorum non accurata & diligens lectio,  
priusquam ad grauiora discedunt; nuper aded  
intellexisse videor, cum Plauti Curculionem ea  
cura euoluerem, qua meretur euolui auctor tan-  
tus. Ceterum vix bene in proscenio eram, cum  
molestissimum offendi quiddam, quod in ipsa  
Scenam properantem validissimè moraretur. id  
erat

VERISIMILIVM LIB. I. II  
erat huiusmodi. Cappadox leno negotium sibi  
facessere lienem dicit Palinuro, & ita infedisse  
penitus, vt intestina omnia occuparit. eorū hæc  
sunt verba. PAL. *O scelerum caput,*

*Salueto. quid agis? CA. Vino. PA. nēpe vt dignus es.  
Sed quid tibi est? CA. Lien necat, renes dolent,  
Pulmones distrahuntur, cruciatur iecur,  
Radices cordis pereunt, chira omnes dolent.*

Liber hic cum homine doctissimo, Ioach. Ca-  
mèrario mirari, quid *Chira* significant. Ille quidè  
*Fibras* hoc loco reponit. & rectè sanè, si licet in  
omnibus auctoribus, cum aliquid in obscuro est,  
& in vitio, substituere aliud minus quidem ob-  
scurum & vitiosum, sed tamen non ipsius aucto-  
ris, vel antiqui codicis. Ego quidem, qui didici  
apud Festum *Hiras* esse, non *chiras*, hoc in loco  
certissimè reponendum puto: *Hira omnes dolent.*  
*Hira* verò, teste Pompeio, *intestinum* significat,  
quod Græci *νῆσω*, Latini *Ieiunum* vocant. cuius di-  
minutiuum est *Hilla*. Dicit itaque Cappadox, cum  
partes omnes corporis appellauit, quæ sibi ex  
liene affectæ essent, omnia denique intestina eâ-  
dem illa tæbe obfessa: quæ *Hiras* appellat Plau-  
tus. Sed & Macrobius docere nos poterat, *Hira*  
quid essent; nisi Festus prior id annotasset. Verba  
Macrobij ex somnio Scipionis sunt eiusmodi:

*Et intestina principalia tria: quorum vnum (lege,  
imum) Dissipiua vocatur, quod ventrem & ca-  
etera intestina seceruit; alterum medium, quod Gra-  
eci μεσεντέριον dicunt: tertium quod veteres Hi-  
ram vocauerunt, habeturq; præcipuum intestino-  
rum*

*rum omnium, & cibi retrimenta deducit.*

Hactenus Macrobius. Mirum verò est, n̄ illud *Disruptum* quod suprà legitur, corruptissimū est. In antiquis codicibus, vt ex margine colligimus, *Disseptum* scribitur. ex quo *Disruptum* fuisse scriptum ab auctore, suspicari aliquis possit, vt apud Festum: *Conseptum*, prò *consepto*, est ex Ennio, & *Disisum* prò *Disisum*. Cū hæc scripsissem ante annos meditata iam plures, prodierunt in lucem, singulari cum vtilitate studioforum omnium, Hadriani Turnebi viri Doctissimi Aduersaria. quæ mihi quidem, vt harū scriptio- num Helluoni egregio, lecta & relecta sapius, non contemnendum fructum attulere. Inter cætera verò, quæ magnæ voluptati erant, hoc mihi gratissimum in primis fuit, in eadem sententia de hoc Plauti loco esse eum, quem viuum omnes docti, nunquam moriturum, & mortuum tamē adhuc sibi alijsque viuere præclare sentiunt. Extat in hunc heroem Elegidium nostrum, quod hîc appingere visum fuit. nec enim vir tantus vno in loco legi est dignus; sed pluribus in libris linguisque sonare eum, par esse, virtus illius optima mecum sentit.

IN

## IN OBITVM VIRI SINGVLARIS D. ADRIA-

NI TURNEBI,

ELEGIA.

**S**i c tibi, Parca, frequens res sit cum vilibus  
vmbri,  
Sic cadat in ferrum Mors numerosa tuum.  
Quæ tua sæuitia est, doctis caput artibus auctum  
Turnebi, immites dedere ad inferias?  
Turnebi, cuius subnixum præpete penna  
Nomen hiat rubris concolor hospes aquis.  
Cuius & in famam victricibus Itala tellus  
Vocibus infurgit Gallia docta tibi:  
Seque negat tanti sub laudes ire minorem  
Nominis: Hæc Virtus præmia sola capit.  
Quæ nisi quanta viget Turnebi in pectore fedit,  
Sedit in Aurati pectore tota mei.  
Hos posse indomitis aratibus exigere æuum,  
Est aded insana credulitatis opus.  
Fata vetant, Turnebe tamen te viuere verum est:  
Scriptaque sunt Famæ posthuma Regna tuæ.  
Felicis animæ, quæ post mortalia sæcla  
Viure concipiunt, viuere cum nequeunt.  
Atque vtinam plures, quos hæc habet ora, diserti  
Tramite Turnebum conueniente premant:  
Cumque habeant, vitæ Mortem omnibus esse  
nouercam,  
Morte obita, famæ stent sine labe suæ;

At-

Atque aliquid viuat scriptā referatur in vnam;

Sic iuuat & sati me quoque iura sequi.

Sic iuuat indocto finem statuiffe dolori:

O pereat, quisquis non ita cumque perit.

Paruus amicitiae tecum mihi venerat vsus,

Paruus amicitiae nec tamen vsus erat.

Te memini quiddam ingenio inuenisse sub isto;

Quod cuperes votis grandius ire tuis.

O ego ne tanto possem superesse dolori:

Quam malim nulla carminis arte frui!

Et tamē hoc quantū est peregrini munus amici,

Esse graue exopto docta luuenta tibi.

Siue aliquis sacris raptorū est sensus in vmbriis;

Hoc graue Turnebo sic quoque munus erit.

## CAPVT IV.

*Ennij versus repurgati apud Nonium.*

**F**acilius credo ferendum est apud Nonium nunc voculam vnam, quam facile suspicari possumus abesse, nunc minutatas aliquot literas, quas in ordinem suum restituere nullius propē industriae censetur; quā elegantem aliquam sententiam fallere, & in obscuro esse; quā si plana & distincta sit suis partibus, nimium incredibile voluptate lectorem perfundat. Ecce verò quod dico apud Noniū in verbo *Spernerē*, quod ille *Segregare* interpretatur. Satis credo obscure & coactē hęc sunt verba, nam versus dicere omnino non placet, cum nec formam quidem illorum præ se ferant, vt ibi distincti sunt & collocati.

*Melius*

*Melius est virtute ius. nam sepe virtute mali nanciscuntur ius, atque equum; se à malis spernunt procul.*

Ex his omnibus nullum idoneum sensum elici posse vident omnes, & tamen si vel apicem vnū addas, & in pedes suos constituas versus, summa erit elegantia, & Carmen Ennij Philosophicum quiddam spirabit. Ego sic lego, & quadratos efficio, nam certē *Herculis Lytra* versibus scripta fuerē:

*Melius est virtute ius. nam sepe virtutem mali*

*Nanciscuntur; ius atque equum se à malis spernunt procul.*

Sic demum sapere, & ratione vti Poeta videtur; cum, vt prius legebatur, & à thesi sua, qua *Ius virtuti prestare*, volebat dicere, ineptē discedat, & rationem omnem probandæ veritatis negligat. Sed miror sanē Henricum Stephanū, virum elegantem & doctum, id non vidisse; cum Poëtarum Fragmenta nuper ederet. nullo enim cum sensu & ibi leguntur isthęc Ennij. Sed nimirum hoc ille, vt mille alia, Appendici suæ reseruauit. Ne quis autem illa dictione offendantur, quæ est in secundo versu: *Ius atque equum se à malis spernunt procul.* nam & antiqua est locutionis formula, & illa Prudentius ferē vtitur in *Psychomachia* libello, hoc versu:

*Monumentaque tristia longè Spernunt.* Sed magis credo ad illud Virgilij vidit, quod est huiusmodi: *Longeq, recusat.* Efflet puto non nullus, qui in Ennij versu, *Spargis*, legi posse contenderet.

ego

ego non ausim, præfertim auctoritate Veterum Codicum destitutus. Sed hæc satis sunt in re perspicua & vera.

## CAPVT V.

## Tibulli loca aliquot emendata.

**M**ulta sunt apud Tibullum, Poëtam cultissimum & doctissimum, quæ mihi quidè suspecta sunt, nescio an alijs. certè nihil eiusmodi video in illorum libris: nisi fortè illud est aliquid, quod Franciscus Robertellus, homo Italicus, scribit, in libro quodam manuscripto quem ab amico acceperat, legi versum Tibulli hoc modo:

*Nec quisquam multo percussum tempora Baccho  
Excitet, infelix dum requiescit amans.*

In nostris libris est elegantissimè, *Perfusus tempora*. nec quicquam immutandum. cum idem Poëta alio loco sic scribat: *Et multo tempora funde mero*. Ecce omnia hîc gemina & eadem sunt. nam in hoc versu, *Tempora funde*, est *Perfunde* ut in illo eiusdem: *Mox etiam nimeo fundere late parent*, Sed & Horat. *Tamen vda Lyæo Tempora populea ferur vinxisse corona*. Et in illo pari modo Tibullus: *Nec stragula picta soporem*,

*Nec somnus placida ducere possit aque*, *Ducere*, prò *Inducere*, simplici prò composito vsus scilicet. Ecce nihil hoc Poëta sui similis in tota Latiorum Poëtarum turba est. Malè itaq. consuluit sibi Robertellus, cum optimam lectionem

folli-

sollicitate conatur: & δινοπλήγας suum Ouidio pudentius condonasset, qui *Tempora quassa mero*, dicit quodâ in loco: Archilodius autem pari translatione; *ἀνὰ συνηραῖνον θεῖς φρένας*, apud Athenæum. Itaq. hoc mihi consiliū meum perplacet, quod hæc Poëtarum recta emendatione aliquando mecum iniij, nimirum Poëtas ex suis scriptis æstimandos primum, deinde ex aliorum frequenti lectione: Hoc ut semper obseruavi hîc docebo, & loca aliquot ea ratione quam dixi correctos proponam. Itaque quo loco legitur apud Tibullum:

*Sic veteres sedes incoluistis aui.*

Legendum sic edico:

*Sic veteris sedes incoluistis aui.*

Nam alio loco idem Tibullus scribit:

*Ritus ut à prisco conditus exstat aui.*

Et alio:

*Quos tulit antiquo condita mensis aui.*

At *Sedes*, hîc sunt *Aedes*, antiquorum more, ne quis in *Aedes* mutandas putet. *Aui* perpetua illa sunt Epitheta in hoc Poëta. Sed ut semel dicam quod sentio, nos hæc paucis scribimus & doctis; reliquorum turba quid de his sentiat & loquatur, susque deque id est nobis. Et tamen ut & illis fiat satis, etiam alterum proferam locū. Est ille lib. I I. Elegia I.

*Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos*

*Consulis, & Chio soluente vincla cado.*

Video hîc *Veterem consulem*, ut illic *Veterem auium*; & tamen etiam ex isto versu vetustas hæc

B

cum

18 LVCÆ FRVTERII BRVG.  
cum verbi immutatione profligata est à Pierio  
Valeriano in illo insigni Syntagmate Hiero-  
glyph. Ille enim hunc Tibulli versum satis suo  
iure mutat & legit:

*Nunc mihi fumosi veteres proferte Falernos  
Consulis, &c.* Quasi verò hîc de *Fumoso Consi-  
le* agatur, & non potius de *Amphora* Hora-  
tij, *fumum bibere instituta*, sit sermo. Sed, ô,  
sed errât etiam docti homines, dum ingenio suo  
nimis fauent, aut memoriæ indulgent. Non ali-  
ter falluntur nonnulli, qui cum Tibulli locutio-  
nem & numeros parum exploratos habent; tum  
ipsi, quæ illo indigna sunt, & semetipsis ad lauda-  
re, vel studiosis persuadere conantur; vt nuper  
quidam, quem honoris causa non appello; &  
hic tamen quasi magnum quid allaturus gra-  
tiam sibi studiosorum omnium excipit, cum ta-  
men nec gratia vlla dignus sit, nisi ea sit mala. Ità  
scripsit Tibullus:

*Rusticus è lucoq, vebit malè sobrius ipse  
Vxorem plastro, progeniemq, domum.*

Ille, quem supra dictum volui, legendum pu-  
tat:

*Rusticus è luco veuehit malè sobrius ipso, &c.* cum  
tamen omnia à superioribus faciant; quod ille  
non vidit: & languida omnino sententia fiat, si  
ità legatur. Quare pudenter in Tibullo versan-  
dum est ei, qui velit placere quàm plurimis, &  
cautè videndum, quid coniectura boni habeant,  
praesertim alienæ. Nam pari præmio dignus est,  
qui alterius calidum figmentum & signum in  
pergula

\* L. Carrio,  
I.C. in Scho-  
lijs suis ad  
Valerium  
Flaccum,

VERISIMILIVM LIB. I. 19  
pergula doctiorû proponit, quàm ille qui signi-  
fex fuit, & tamen ipsi tabulæ suum nomen inui-  
dit callidus. Pergimus in Tibullo. Scribit ille  
Elegia 1. lib. 1. 1.

*Rure leuis verno flores apis ingerit alueo,*

*Compleat vt dulci sedula melle fauos.*

Ego qui, *Vernum rus* non alibi, & tamen *Ver-  
nos flores* passim odoratus sum; imò in ipso Ti-  
bullo pauillò post sequi nō ignoro, legedū censeo:

*Rure leuis vernos flores apis ingerit alueo,*

Vt infra statim:

*Rure puer verno primum de flore coronam*

*Fecit, & antiquis imposuit Laribus.*

*Leuis autè apis*, ne quem offendat, Virgilium  
illi grauißimum vindicem esse sciat: ait ille:

*Illæ (apes) continè saltus, siluasq, peragrant,  
Purpureosq, metunt flores, & flumina libant  
Summa leues:*

Atque illud obseruandum, malè legi apud cul-  
tissimum Poëtam hunc versum:

*Atque aliqua assidè texitrix operata, Mineruam  
Cantat, & à pulso tela sonat latere.*

Legi enim debere ipse Tibullus monet:

*Atque aliqua assidè textis operata, &c.* Sic ille  
lib. 1. *Atque aliquis voti compos liba ipsa fe-  
rebat.* Atque illud quod nunc adscribam, illis  
dedi, qui Tibulli superiorem locum à se defendi  
posse diffidunt. Sed videant illi, ac pudenter do-  
natis vtantur. Tibulli est huiusmodi:

*Atque aliquis senior, veteres veneratus amores,  
Annua constructo ferta dabit tumulo.*

Lócutiones istæ sunt Veterum, & elegantia abstrusioris: nunc quod addam quibusdam fortassis leuius videbitur, ideoq. illi de loco digniori prouidendum non fuit. itaque hæc legatur licet. Est apud Tibullum de Bacchi præstantia & vini:

*Ille facit ditēs aminos deus: ille ferocem  
Contudit, & domina misit in arbiurium.*

*Armenias tigres, & fuluas ille leanas  
Vicit, & indomitis mollia corda dedit.*

*Hæc Amor, & maiora volet, & c.*

Puto legendum, si quid video in his rebus: *Hæc amor & maiora valet.* Leuia sunt isthæc scio. & tamen sine talibus grauiora placere non possunt. & nescio quid nebulæ obijcitur lectoribus ab hisce friuolis, præferim incautis, quibus & nos quoque consultum velle debemus. Adijciam & geminum istis vnicum, quoniam iam nobis displicere cœpimus. libri 111. Elegia postuma hæc sunt:

*Lena nocet nobis, ipsa puella bona est.*

*Lena vetat miserum Phryne, & c.* Vereor vt bene habeat locus, adeoque labor, vt legam: *Lena necat miserum Phryne, & c.* Hæc nos è Tibulli vernis floribus mella libabamus, quæ vereor ne quibusdam Corsicūm *μελιτροφεϊον* sapiant. Sed & nos cum Lucretio

*Scimus, amaracinum, subus vt fuit acre venenum.*

CA-

## CAPVT. VI.

*De Tibulli quibusdam locis suspiciones iusta.*

**E**Cce iterum ad Tibullum relabimur, nimis enim auctor ille nobis placet cum dictionis puritate, tum proprii sermonis elegantia. Dicant & sentiant alij quod velint. Ego nõ vereor, quod scio quosdam velle, ne Tibullus noster illi secundus fiat, cuius facilitas & luxuria antiqui temporis doctissimis parum omnino grata fuit, quantum ex illorum scriptis colligere est nobis. Sed nos credo cum hæc nimis anxie persequimur, doctiorum de his iudicio parum fidimus, quorum eandem esse opinionem certè dubitandum est nemini. Tibullus itaque quo loco habet:

*Me mea paupertas vita traducat inerti,*

*Dum meus assiduo luceat igne focus.*

Non videtur mihi satis cultè loqui, quantum ego quidem iudicare possum. Nam vt illud, *Vita inerti traducere*, possit aliquis ex Martiali defendere, qui de molesto illo genere delatorum sic scribit:

*Turba grauis paci, placidaq. inimica quieti,*

*Qua semper miseras sollicitabat opes,*

*Traducta est Gyaris, nec cepit arena nocentes:*

*Et delator habet, quod dabat exsilium.*

Quod tamen eo in loco Epigrammatarij ambigua est lectio, & alij habent libri, *Tradita Getulis.* ego quid sentiam non sanè habeo, certè fuit tempus, cum esse legendum in Tibullo crederè: *Vita traducat inerti.* vel quod aliquis suspicari



possit, *vita inertis*, vt idem dicat, quod eadem Elegia sub alijs verbis dici credimus:

*Non ego laudari cupio, mea Delia, tecum*

*Dummodo sim, queso segnis inersq, vocer.*

Atque ego quidem vt dixi, ita sanè difertim in Cod. Man. Danielis mei habetur. quin & eadem Elegia aliquid est, quod parum constat sibi; & tamen illud mihi constat, non esse Poetæ nostri. Sic est in vulgatis:

*Iam subrepet iners etas, nec amare decebit,*

*Dicere nec cano blanditiâs capiti.*

Legendum certè est, si illud consideramus, quod Tibullus dicit; *Dicere nec cano blanditiâs capite.* Nam parum esse honestum, ait, Senem amoribus & blanditiis iuuenilibus vacare:

*Turpe est enim, vt ait Naso, Senex miles, turpe senilis amor.* Et sanè ita est quoque in manuscripto Danielis nostri, quem iam sæpe attestatus sum. Elegia 11. exstat etiam quiddam malè proprium, & à Tibulli Venere perexiguè faciens. nam vbi legitur:

*Nam fuerit quicumque loquax, is sanguine natam,*  
*Is Venerem è rapido sentiet esse mari.*

Malo legere, & omninò ita restituendum puto:

*Is Venerem è rabido sentiet esse mari.*

Tibulli sententia id requirit, & Epitheton nimis apud omnes Poëtas frequens. Nam vt *Rapidum flumen* vocet Tibullus, & rectè vocet, non tamen hinc colliget quisquam, locum illum superiorem mendo vacare. sed quanquam hæc, aliaque plurima sunt huiusmodi, vt ineptis esse fastidio

fastidio possint, tamen alia quoque leuiuscula vt sint, omittèda non puto. Ait Tibullus Elegia 1v.

*Iam tu qui Venerem docuisti vendere primus*

*Quisquis es, infelix vrgeat ossa lapis.*

Libenter hoc loco scribam, si cum gratia & venustate antiqui sermonis fieri possit:

*Iam tua, qui Venerè docuisti vendere primus, & c.*

Vt idem auctor infra: Eleg. 1x.

*At te, qui puerum donis corrumpere es ausus*

*Rideat assiduis vxor inulta dolis*

Et alio in loco:

*At tibi, qua pretio victos excludis amantes,*

*Eripiant partas ventus & ignis opes.*

Hæc ego omnia bellè dici & festiuè credo, sed & illud scio Tibullum loqui, & defendi posse. quod nos omninò non offendit, & tamè cultius futurum existimo, si ita credamus scriptū fuisse à Poëta cultissimo. Atque illud addam, cum huc audaciæ vètum est, vt quæ alijs placere iuxta mecum scio, eadem mihi leuiter placere sustineam fateri: addam inquam vnicum, vt dixi:

*Iam tener assuevit munera velle puer.*

*Iam tu, qui Venerè docuisti vendere primus, & c.*

Secundum illud *Iam*, parum suae accidit auribus meis, nam huius loco Poëta noster mille locis, *At* reponit. vt hoc probem nihil est: sciunt qui hunc auctorem dignè pertractarunt. Hactenus cum Tibullo.

## CAPVT VII.

*Locus Lucillij apud Nonium restitutus.*

**N**imium honesta ratio est & cura, Auctori-  
bus bonis, ijsque præcipuè quorū operibus  
caremus omni studio consulere atq. adesse. quod  
in Nonij codicillis sedulo fieri eorum exposcit  
mala ratio & vitiositas. Nam illi certè, si qui alij  
omnino, possunt malæ tractationis legitimè age-  
re. sunt enim vel corruptissimi. In his magna  
fuit omnium cura & diligentia: ac nuper adeo  
Iunij nostri industria singularis se erga auctorem  
hunc dedit. & propediem, vt intelligo, Ios. Sca-  
ligeri, Magni illius Cæsaris filij, Nonium exspe-  
ctamus multò integerrimum. Certè magnum  
specimen in Coniectaneis Varroni dicatis editur.  
Et quia huius industriæ laus est publica,  
nos quoque omnem Genium calamumq. mo-  
uimus, vt ex cæcis hisce aurifodinis aliquantillū  
metalli proueremus. Sed nimis vereor, ne, quod  
aiebant antiqui, *Pannum in purpura à me sit  
positum. Sic tamen audentes ipsa Minerva iuuat.*  
Carmen est Lucillij Quadratum apud Nonium  
in verbo *Rogare*, habens quidem latentem ele-  
gantiam, & tamen credo hic calculus in turbido  
papyri æquore numerari, vel legi à quibusuis  
non potest. Ego, vt iudico, aliquid vidi, quod  
Lucillij venustatem vetustatemque adiuuerit.  
Vulgò ità leguntur versus isti:

*Ferri tantum si roget me, non dem, quantum au-  
ri petit,*

*Si se*

*Si se cupit, & si quoque à me, qua roget non im-  
petret.*

Prior versus rectè se habet, alter verò plus ha-  
bet quàm Lex horum carminū requirit aut per-  
mittit. hoc ego cum animaduertērem, & quid in-  
re esset non ignorarem, vidi legendum leuissima  
immutatione hoc modo:

*Ferri tantum si roget me, non dem, quantum au-  
ri petit,*

*Si se rupit, sic quoque à me quod roget non im-  
petret.*

Facilis omnino error fuit, ex *Rupit, Cupit* fa-  
cere, cum errore crassiori prò *Fera vite*, vna di-  
ctione *Ferabite* scripserint librarij apud hūc eun-  
dem Nonium. Sed nos ad Lucillium redimus.  
Hoc nimirum est illud vulgò quod dici solet;  
*Duos apros vno in saltu captos esse.* Nam certè mul-  
tum omnino dubitavi, an illa Talionis Lex, quæ  
apud Festum est, posset cum Agellii illa commu-  
tari. Nunc verò maximam partem eam à me  
suspicionem remoui. In Agellio est: *Si membrum  
rupit*; apud Festum *Rapserit*, ex qua alij *Rupsit*, alij  
*capserit*, efficiunt: at quàm effectè & integrè ipsi  
viderint. mihi placet *Rupit*. Sic certè veteres con-  
cipiebant suas leges: *Ni iudicatum facit, ni suo  
vinit.* Illud Festi *Rapserit*, nescio vnde correple-  
rit in textum. Sanè huic Talionis Legi parum con-  
uenit, nisi ad Virgilianos *Popas* referamus, qui  
*Tergora diripiunt costis*, & tamen Legem nullam  
talionis meretur. Sed & illud quod est apud  
Festum in Fœdere Latino: *Pecuniam quis nancitor*

B 5 *habe-*

*habeto: & si quid pignoris nancitor* (malè est in Festo *Nanciscitur*) *sibi habeto*. dici credo prò *Nancitur*, quod est nostris *Nanciscitur*. *Nancio* certè apud Priscianum est. Nisi hoc remedii adhibeas huic Legi, non satisfacias tibi, nec videre possis quid velint sibi Legis verba. nota est iam passim literarum *V*, & *O*, apud maiores conspiratio: Sic *Apot*, prò *Aput*, est apud Festum, & alia sexcenta, quibus recitandis nihil omninò est opus. aliquis credo ità conciperet Legis verba, *Qui nancit, sibi habeto*. Ego non ausim, nec velim.

## CAPVT IIX.

*Locus Festi explicatus ex iudicio V. D. IO. Aurati.*

**A** Nullo satis, neque prò merito laudari potest ingenium præceptoris mei, Ioannis Aurati. Hic enim vir vnicus si quàm auarè premit scripta sua, tam ea liberaliter in lucem atque oculos studiosorum permitteret, esset nimirum, nec fallor, cur neque Robertellos suos, neque Sigonios Italia inuideret Gallia. Hic vir quem dico, meque cum dicere, honestum sentio, cum nuper ab eo quærerem de quodam Festi loco, qui mihi hoc, vel nullo alio interprete egere videbatur, promissimè vix perlectis verbis satisfacit opinioni de se meæ. Festi difficultas est huiusmodi: *Pennatas impennatasq; agnas, in Saliari carmine spicas significat cum aristis; & alias sine aristis agnas nouas volunt intelligi*. Mirabar ego, & erat sanè cur mirarer, *Agnas* prò *spicis aristatis*  
capi

capi in Saliari Carmine. Sed nimirum omnium admiratio ex ignoratione genus & causam trahit. vnde etiam apud Plautum *Mirari*, prò ignorare est, illo versu Prologi Aululariæ:

*Ne quis miretur qui sim, paucis eloquar.*

Mirabar inquam, & ignorabam quod mirabar, nec me pudet huius meæ tarditatis. fecit enim illa, vt omnibus doctis hic Festi locus nunc pateat, qui antea latebat. Nec tamen existimo Ant. Augustinum, virum principem in his rebus, cuius ea Commentaria videntur doctis, quæ Festo commodissima acciderunt; nec alios plures, quos fert Italia eximios, hoc officii Festo negaturos fuisse, si quàm locus est difficilis, tam iis facilis, & peruius esset visus. Etenim leniora attigerunt. Sed quid ego diutius Lectorem moror? Hic est viri Maximi, Ioannis Aurati, de Festi loco sensus, hæc sententia; vt *Agnas* istas *Saliorum* à Græcorum fontibus accersendas putet, & quidè certissima & doctissima ratione. ἀχυν enim apud illos *Acus* sunt & paleæ minutissimum illud quod excutitur in tritura. & ità apud Aristoph. interpretem positum. Difficultas hæc illinc est, quòd Græcorum Duplex in Latinorū Liquidam migravit, quod in aliis verbis non temerè factum reperias. Quid enim? tot tantosq; ætatis huiusce doctissimos viros, imò adhuc rudes in Græcorū literis, quid ἀχυν esset ignorasse credemus? qui tamen huic loco opem nullam adferre poterunt. Illud addam, quod non incommodum Festo futurum puto, veteres, teste Hlidoro *Pen-*

*num acutum dixisse; vnde Pennata agna, & Bipennis denominata.*

## CAPVT IX.

*Martialis Epigramma retractatum.*

**E**Legans est in perparcum & sordidum Martialis Epigramma, in quo more suo inuehitur in auaritiam Næuoli, qui cum Luculli chlamydes togis suis æquare posset, vnamq. Tribum, (quod ait Poeta) vestire, nihil tamen amicis de tantis opibus, imò amiculis, qui frigus iniquum scapulis æquioribus ferre non poterant, impartiebatur. Epigrammatis hæc sunt verba:

*Florida per varios vt pingitur Hybla colores,*

*Cum breue Sicania ver populantur apes:*

*Sic tua suppositis perlucet prala lacernis:*

*Sic micat innumeris arcula synthetibus.*

*Atque vnam vestire Tribum tua velleræ possunt,*

*Appula non vno quæ grege terra tulit.*

*In spectas hiemem succincti lentus amici*

*(Prò scelus) & lateris frigora tutæ times.*

*Quantum erat, infelix, pannis fraudare duobus*

*Non meuas mortem, Næuole, sed tineas.*

Extremum hunc versum doctissimus vir, & mihi nullo meo merito amicissimus Hadrianus Iunius ex Manuscripto exemplari doctissime restituit, cum prius nullo sensu, nedum argutia solenni constaret Epigramma. Sic igitur Iunius:

*Quantum erat infelix pannis fraudare duobus*

*(Quod rennis) non te Næuole, sed tineas.*

Ego

Ego qui hanc emendationem non damno, quoniam possim? cum ex vetustissimo exemplari ducta sit, vix tamen mihi tempero; atque adeo non tempero, quin eam quam olim suscepi opinionem de hoc loco nunc exponam. Memini legere me apud Papinium, Poetæ nostri æqualem, arguti quiddam, sed tamen diuersum ab hoc Poetæ nostri, quod tale est. Statius Apophoretum Gripi miserat, carmen nimirum elegans & doctum: Gripius librum prò libro remisit. Vnde Statius iocatur, & enumeratis omnibus, quæ Apophoreti loco donarentur amicis, tandem ad minima gradum faciens, ait:

*Quantum vel dare cereos nitentes,*

*Cultellum, tenuè sue codicillos?*

*Ollares, rogo, non licebat vnas,*

*Cumano patinas in orbe tortas:*

*Aut vnam dare Synthetim (quid horres?)*

*Alborum calicum atque cacaborum?*

Quanta hæc est, ô docti, festiuitas, quanta argutia in illo, quo suspendit anidam Gripi mentem Papinius. Non aliter factum puto à Martiali, qui probè in multis cum Statio, aut Statius cum illo conuenit. Itaque libenter legam, atque adeo existimo Martialem ita scripsisse, vt subscribam:

*Quantum erat, infelix, pannis fraudare duobus*

*(Quid rennis?) non te Næuole, sed tineas?*

Ecce, vt iam omnia bellè consentiunt & arguantur. Illud prius (Quod rennis) languidulum sanè est & nullam secum elegantiam adfert, in quam

30 LVCÆ FRVTERII BRVG.  
quam desinat Epigramma. Iudicent docti, ego  
mihi satisfeci.

CAPVT. X.

*Ciceronis Loca aliquot retractata, & asserta aliorū.*

**M**agnam illi sequuntur laudem, & assequuntur facillimè apud humaniores, qui optimis auctoribus auctoritatem pristinam & nitorem conciliant, ac cur eos maiori cū fructu & assiduitate legamus efficiunt. Illi verò hanc sibi famam cumulant, qui vt illud quod ex libris scriptis est erutum, omni ex parte non assequuntur, tamen ea fide nobiscum agunt, qua codices Manuscripti cum illis. Nimis enim vel maximè dicam, placet mihi Pet. Victorij singularis fides & ingenuitas, in ijs Commentarijs quæ Catoni, Varroniq̃ & Columellæ communicauit, ex quibus primùm hoc capiunt fructus studiosi, quòd loca plurima, quibus sese explicare non poterant, planissimè ea sibi enodari intelligūt. adeoque hoc iucundissimum est, etiam sibi à talibus viris aliquid suæ coniectioni relictum loci. Quod sanè, ne quid dissimulem, nuper vsui mihi venit, cum Caroli Langij, viri elegantis & docti, Commentarios euoluerem, quos ille non ita pronuper Ciceronis Officijs, & Laelij Amicitia, ac denique Catonis Senectuti liberaliter condonauit. in quibus equidem quid præstiterit vir doctissimus, sanè mecum norunt illi, qui eius libellum vel legerunt, vel certè legisse debuerunt.

Ego

Ego id sentio me & plurimùm profecisse ab illo, & aliquid nisi fallor à me. Quod nunc quidem hic referam, non ea ratione, vt iudicium tanti viri laceffam, aut attractem, sed magis vt illud ad laudem & exosculer. ac primum illud quod est in præfatione Officiorum huiusmodi:

*Quamobrem magnopere te hortor, mi Cicero, vt non solum Orationes meas, sed hos etiam de Philosophia libros, qui iam se illis ferè æquarunt, studiosè legas.*

Langius in aliquot veteribus scribi ait: (*qui iam illis ferè æquarunt*) quod sanè locutionis genus videtur mihi aliquid æqui bonique in sese habere. Oppius Commentar. lib. 8. *Exstruitur agger in altitudinem pedum 1x. collocatur in eo turris x. tabularum, non quidem quæ mœnibus æquaret, (ita enim, non æquaretur legendum) id enim nullis opibus effici poterat, sed quæ superare fontis fastigium posset.* & apud Gellium Vetus Poeta: *Acquirant Ioui:* atque illud Catulli de Suffeno (*Tantum abhorret ac mutat*) Sic enim legi debet omninò. non vt in nostris est & Mureti exemplaribus (*nutat*) quod nihili est verbum ea in re & loco. Ac illud est aliquid, aut potius plurimùm, quod in libello horum Poetarum ante annos 1x. Parisiis impresso, ita hic locus legitur, vt ego eum esse emendandum semper censui. Si cui verò superior illa sententia Tullij minus placet, ille existimet Ciceroni accidisse, quod omnibus auctororum scriptis. nec sibi tamen persuadeat Tullium non etiam vetustescere aliquando, vt alios eiusdem

cuiusdem sæculi auctores. Sed illud secum statuat, quæ nobis hominibus nouis in hac Latinitate videntur antiquissima, ea visa vel noua, vel præsentia Latinorum Postumis. Atque illud est, quod suprâ dixi, aut dictum volui, hæc & alia, vt Cicerone indigna, sustulerunt sinistri Commentatores. Pergimus verò in Langii Commentarijs. Scribit ille li. II. Officiorum, vbi de Phareo Tyranno & Thebe illius vxore agit Cicerone; *Thracias* notas esse in Codicibus suis. Hæc sanè placere debent doctis, & Langio ipsi, si modo illud non placet nobis, quod ob signandū literis & adnotandum in libris ducimus. Nam & *Thracæ gladiatores* sunt apud Festum, & *Thracia* in pluribus Manuscriptis, atque in Philippicis II. de Antonio. *Mirmillo in Asia depugnauit, cum ornasset Thracidicis comitem & familiarem suum, illum miserum fugientem iugulauit.* quod & Caligula facit apud Suetonium. Sape hic locus Ciceronis me exercuit, & etiamnum exercet. nescio enim omninò, quid *Thracidica* sint, nisi fortè prò armatura gladiatorum accipientes putet aliquis: vel sanè *Thracijs scis* reponat. *Parma Thracia* sunt apud Festum. Pergit ecce Langius gratificari studiosis, & mihi præsertim ille in Lælio, vbi de commoditatibus amicitiarū disputat his verbis: *Cumque plurimas & maximas commoditates amicitia contineat, tum illa nimirum præstat omnibus, quod bona spe præluceat in posterum, &c.* Langius hîc, vt alijs quoque locis, rectè admonet in omnibus Veteribus legi: *Bonam*

*spem*

*spem præluceat in posterum.* ac certè hic consensus optimorum exemplarium id efficere debet apud doctos, vt Ciceroni hanclectionem, vel Lælio potius restituendam credamus. Est enim & proba & vetus. *Tute puer Lautuses, luces cereum, & Lucere facem,* credo est apud Plautum. Atque illud videmus in illo; *Bonam spem præluceat,* pleniù esse significatione quadam sua & energiam latere in verbis, & propriè dici quod dictum vult Lælius. Ait enim, spem bonam portendi & præferri illi qui amicū habet egregium, nec vnquam sibi defuturum eius officium in senectute. ac si aliqua calamitas bonorum illi contingeret, spem esse certissimam in amici officio & benignitate. Sequitur altera pagina, vbi Lælius de amicitia finem loquendi, & his verbis facit: *hactenus mihi videor de amicitia quod sentirem, potissimè dixisse.* Veteres libri omnes, vt idem testatur Langius, potuisse dicere describunt. quod & de Lælio placere debet, & de consensu librorum veterum. Agnoscit enim vir prudens Lælius & ingenij facultatem, & quid sentiret, & quantum sentiret, satis dictum à sese vult intelligi. Nec tamè quod hîc ait Langius nihili est, cum in Diuinatione (*potissimè dicere*) legi ait in Veteribus, nec tamen tantum est, vt hoc loco Lælij sententiam perturbet aut euincat, quem loqui existimandum est, non Ciceronem; quanquam & Ciceronem, & Lælium. In eodem Lælio vbi legitur: *Amicitiarum sua cuique permanet stabilis & certa possessio.* Langius in Parcenſi exemplari scribi fatetur:

C

Ami-

*Amicitiarum sua cuique pertinet stabilis & certa possessio.* Quam lectionem cur Cicerone indignam existinemus est nihil. Nam antiquam esse apparet & bonam. Sic *Pertinax digitus* apud Horat. & *pertinacia*, in bonam partem apud antiquos capitur. & in Scipionis Somnio: *Sol subter mediam ferè regionem obtinet.* Ac sanè, si argutari volumus, *Pertinet*, prò *Contingit*, & *Est*, accipi posset. quinimò si *Permanet stabilis*, Ciceronis est; ut esse potest; iniucunda tamen erit inculcatio alterna. Nam sequitur è vestigio: *Nam si illa maneat.* Quare videant doctiores, & Langius ipse, quem & iam in sua caussa iudicem esse facile patiar, & lite cadere, hoc quidem sub arbitrio, gloriosum mihi ducam. Hæc mihi pauca adnotare visum est, tum ut Ciceroni vetustatè curæ fuisse, possimus perpeti, & hanc in illo agnoscere; tum adè, ut omnium studiosorum nomine Langio gratias agerem, qui tanto nos affecisset bono; denique ut Verisimilia mea hac varia accessione probare se possent eruditus.

## CAPVT XI.

*Locus Festi emendatus, & alter explicatus.*

**Q**uod de Naturali Historia dixit quidam, *Eum doctum videri non posse, qui Plinium non legisset;* id ego sanè meritissimò dicam de Festo. Hic enim auctor si quàm facit ad multa aucto- rum loca vel explicanda vel corrigèda, tam ipse emendatus esset, & sui auctoris, nil eo esset profectò ad omne

omne genus disciplinæ accommodatus. Nunc verò quia & illi id accidit vel temporis iniuria, vel hominum inicitia, quod optimis quibusque scriptoribus accidisse queruntur docti omnes; certè hoc vnum restat, ut quod aliorum ex libris hinc accommodari potest, id illi omne liberalitè de alieno conferamus, parè tamen & pudèter de nostro, nisi fortè sequestrum ad hanc rem idoneum habeamus, qui pignus ab alio occupatum iniustè possit summo iure & ratione euincere. *Lingulaca* (inquit Festus) *genus est piscis, & mulier anguratrix.* Illud extremum parum videtur mihi constare sibi, nisi fortè antiquius est vocabulum, quàm quod huic sæculo notum esse possit, quod ego non arbitror. quicquid tamen est, eò labor, ut legendum putem: *Mulier arguratrix.* Nam illud *Garrulatrix*, quod in margine Pompeiano est, mihi ineptum quiddà, ne quid grauius addam, sapit. Ego ut *Arguratrix* rescriberè, id mihi sumsi ex Plauti & Nonij sententia, qui auctoritatem non defugient scio. nam eam mihi iam præstituri sunt. Plauti in *Casina* hæc sunt:

STA. Emito sepiolas lepidas lolligintunculas

Hordeias. CH. Imò triticeias, si sapis.

ST. Soleas. CH. Qui queso potius, quàm sculpon-  
neas,

Quibus batuatur tibi os senex nequissime.

OL. Vin' lingulacas? ST. Quid opus est, quando  
vxor domi est?

Ea lingulaca est nobis, nam nunquam tacet.

Ecce vt pulchrè patet ratio accepti à Plauto, & redditi Festo. & tamen Nonius ipse ex Varonis Papia, *Lingulacas* verbosos interpretatur. Atqui illud quoque quod ait Festus, *Lingulacam piscis esse genus*, in superiori exemplo sefe ostendit facillimè. Res enim illic est de piscibus coëmendis inter Villicum & Dominum. Nec certe Plinius hunc piscem præterijt, aut neglexit. Ait enim: *Vocabula piscium pleraq. tralata à terrestribus ex aliqua parte similibus rebus, vt Anguilla, Lingulaca.* Quod verò suprâ est in Plauti versibus; *Soleas CHA. quâ quæso potius, quam sculponeas?* Eleganter illudit delicijs domini feruus. Nam *Sculponeis soleis* illi commitigandum caput existimat, non *Sandalio*, quod fit apud Terentium. Sunt autem *Sculponeas, rudia & rustica calceorum seruilium genera, vt Perones*. Caro illorum meminit. Mirum verò est, nâ *Lingulaca* illæ Plinij, quas suprâ proposui, pisces sunt illi, quos lingua Belgica *Tongas* appellât, à linguæ scilicet forma; quas Francia tamen *Sollas*, credo *Soleas* volens exprimere. quæ in Plauti illo exemplo etiam sunt, vel sanè à *Lingula, gladioli genere* nomē illis manet. quod magis puto. Et tamen *Gladioli* nomen quoque suum apud Latinos habent, vt *Xiphia* apud Græcos. Addam vnicum ex eodem Festo, quod quidem non emendabo, sed explicabo tamen. *Obedire*, inquit, *Obaudire est*. Videri possit alicui grauior hîc difficultas, quàm sanè est, cum præsertim *Obaudire* dicatur, qui male audit, & famosus est; vel ille qui leuiter

auscultat

auscultat alienis sermonibus, at ego simpliciter interpretandum ex Plauti Perfa censeo, vbi hæc sunt verba:

*S.A. Mane, & si properas, Pagnium auscult.*

*P.E. Emere oportet, quem tibi obedire velis.*

Nihil quidem hîc est aliud *Obedire*, quàm *obaudire* apud Festum. nisi in feruorum conditione ludat, qui Domini nūmis omne obsequiū & officium legitimè debere censentur. Nestor tamen nouariensis, qui pleraque quæ bona habet à Festo traducit, ita ait: *Obedire & obaudire eadem sunt*. Itaque priorem meam sententiam fugituri entē ad me recipio, & quasi de via reprehēdo.

## CAPVT. XII.

*Ouidij versus vnus alterue interpolatus.*

**M**ulta sunt apud Auctores bonos pessimè accepta à sciolis, quæ quidem tolerare sit, nisi illa cum Veterum librorum ratione componas; præcipueque Grammaticorum, aut Rhetorum scriptis. At vbi illò ventum est, certa tunc mater inuenitur; pater, vti semper, incertus est. Priscianus quo libro Veterum pleraque congerit, ait quoque Ouidium *Flammescere* scriptum reliquisse in hoc versu:

*Vidi ego iactatas motu flammescere flammæ,*

*Et vidi nullo concutiente mori.*

Nostri habent libri *mota face crescere*: non absurdè quidē, nisi quod *Mota face*, & *iactata flammæ*, ingrata sint superbis auribus. Illud quoque



nescio quomodo placet doctis viris:

*Prima malas docuit mirantibus aquoris vndas*

*Peliaco pinus vertice caesa vias.*

Mihi placet scribi; *mirantibus aquoris vndis*. Hoc istud Poëticum est, & Ouidio satis dignum. Nec illud respondet palato meo, nescio an alijs arideat, quod Eleg. VII. libri III. Est huiusmodi:

*En quisquam ingenuas etiamnum suscipit artes:*

Malim ego, si conijcere licet, aut fieri illud hoc loco debet, reponere: *Et quisquam ingenuas*. Nec enim Poëta vult credo dicere, artes liberales non suscipi & addisci, sed eo honore non esse, quo deberent, tam apud Romanos, quam apud amicam suam. Posset & illud; *En quisquam*, pro Anpositum videri nonnullis. vt apud Virgilium:

*En erit vnquam Ille dies.*

*En vnquam patrios longo post tempore fines Respiciam*: Ego nolim id suspicari: nam illud *En* Veterum, ante vocalem videtur tantum positum fuisse. Itaque ἐπεὶ: et si eligendum sit alterum, potius *An* legerem. Sed ista sanè res disquisitionem anxiam non meretur. Nunc adeo quod appingam, opinor, nulli bono & docto nauseam mouebit, nedum in calumniam adducet auctorem. Scribit Ouidius lib. III. Elegia VI. parum se officiosum fuisse amicam; itaque noscitur emeritum latus in vegeto & robusto adhuc corpore, nec satis persuadet sibi, quæ causa sit huius tantæ inuenustatis. Verba Poëtae sunt hæc:

*Digna mouere fuit certè Diuosq; virosq;:*

*Sed neque tum vixi, nec vir, vt antè, fui.*

Hic videt acutus Lector, reciprocationem hanc non constare omninò suis legibus, & iuxta cum Ouidio inuenustam esse sententiam Venerem. Quare legendum esse semper existimaui, & nunc cur idem non sentiam, certè à nullo hætenus sum edoctus:

*Digna mouere fuit certè viuosq; virosq;:*

*Sed neque tum vixi, nec vir, vt antè, fui.*

Equidem hoc istud, quicquid est, neque *Centumvrali* Iudicio, neque *Nongentorum cistis* referuabimus. Nam his tantis suffragijs omninò nõ indiget, sed potius seipsum tuetur summo suo iure, id est, ratione. Sic idem Elegia eadem:

*Ab pudet amorum, quod me iuuenemq; virumq;,*

*Nec iuuenem, nec me sensit amica virum.*

Istud fortassè leniusculum videbitur, quod nunc adscribam, & tamen omittendum non fuit, cum nullum ita leue sit vocabulum, quod decenter & apto loco positum sesquipedalis alicuius vicem non impleat. ait Poeta: *Obsequium tigresq; domat, tumidosque leones*. Manuscript. exemplar, quod apud me est, edit, *Numidasq; leones*. quod vt fit verisimilius & rectius facit Virgilius, qui *Pænos Leones*, habet noto loco; quos Cornelius Nepos *Mauros* vocat. Extremum nunc istud quale futurum sit alijs, equidem ad dubito; mihi certè nunquam displicere potuit, præsertim fidem facientibus antiquis libris, & ratione ipsa, quod caput est in hoc negotio. Ouidij hæc sunt:

*Eximia est virtus prestare silentia rebus,  
At contra grauis est culpa, tacenda loqui.*

Manuscriptus Codex quem supra adduxi, disertè scribit: *Exigua est virtus*, quod aduersario illi: *At contra grauis est culpa*: pulchrè opponitur. Nil grauius addam, præsertim verò cum Quindius alibi de eadem re sic arguetur:

*Quis minor est vnquam, quam tacuisse, labor?*

\* CAPVT XIII.

*Locus Tibulli disertè emendatus & coniectura, & Veteribus libris.*

**A** Vdendum est pudenter in literis, si ita rei fert modus; sin ità verò non est vt fiat, audendum est tamen nihilo segnus. Talibus certè ausis benignus quidam Genius adspirat. Quid enim faciendum credimus ijs Auctorum locis, quos vel iniuria temporum nobis imminuit, vel inscitia superioris sæculi aliquot suis vocibus alienauit? Certe ità sentiunt doctiores, primum libris Veteribus hanc rem, sine litem decidendam esse, pòst deinde si manuscriptorum, quod nimis sæpe experiri cogimur, desit facultas, proximum est nimirum coniecturæ acutioris præsidium. quod ego cum semper obseruaui in his libris, tum nuper ad eò in loco quodam Tibulli faciendum mihi fuit. quod nisi facinus effecissem, futurum erat sanè pudore illo parum forti & subrustico, vt non solùm de hoc Tibulli versu dubitarem semper, verùm etiam ad hanc rem Poëtæ cultissimi lectores, vigilantes (quod aiunt)

fom-

somniarent. Itaque sic iudico, parum omninò abesse eum à laude summa, qui primus locum aliquem suspectum sibi audet pronũtiare, quam ille abest, qui postmodò ad eundem scopulum impingens, quid in illo periculi sit, per idem iter ingressuris benignè ostendit. Hoc ego dictum volui, quia in quodam Tibulli versu id audaciæ meum feci, vt & suspectum mihi disertim edicam, & quemadmodum emendandus videatur, etiam dicam. Locus de quo agitur est lib. I I. Elegia eadem, vbi Chærinthi Natalem celebrat Poëta: & illum ex more, Votum à Dijs postulare facit; atque ex persona Chærinthi auguratur, illum felicitatis coniugij & casti Votum cogitare, quod vnicum esse & præstantissimum prudenter sentit Poëta cultissimus. Eius hæc sunt verba:

*Auguror: vxoris fidos optabis amores.*

*Iam reor hoc ipsos edidicisse Deos.*

*Nec tibi malueris, totum quæcunque per orbem*

*Fortis arat valido rusticus arua boue:*

*Nec tibi, gemmarum quicquid felicibus vndis*

*Nascitur, Eoi quæ maris vnda rubet.*

His quidem versibus probè ingeniosis & doctis hoc vitij subesse libet suspicari, quod equidem si tollatur, futurum est vt & venustiores sint, & ad ipsius Tibulli mollitiem nimirum commodissimi. Hos itaque primum coniectura restitui, vt subscribam, deinde quid consilij ceperim de mea coniectura post addam. Coniectura hæc est:

*Nec tibi gemmarum quicquid felicibus Indis  
Nascitur, Eoi quã maris vnda rubet.*

Ego audaciam coniectandi cum mihi ipse probare non possem (quod tamen rarum est in his rebus) feci studiosè, vt Aurati mei, quem in hac palæstra vnicum esse mihi iure persuado, iudicium explorarem, qui me non ità confidentem de coniecturæ meæ sinceritate planè restituit & confirmavit. Atque hoc illum tum mihi dicere (nihil auribus nostris damus lector) siquidem Tibullus non ità scripsisset, eo tamen modo scribere debuisset. Id quidem elogium tanti viri, prout debuit, grauissimum mihi tum fuit. *Quis enim* (ait ille) *damnet sua vota libenter?* Et tamen ita molli sum fronte, vt editurus prope modum non viderer, nisi certissima post auctoritate ad id essem pertractus. Namque non ità nuper, cum ad Petrum Daniele, virum optimum & doctissimum, venissem fortè, incidi in quasdam *Poetarum Gnomas*, lato satis & veteri caractere perscriptas, in quibus & hoc Tibulli Carmen, quod ante aliquot menses emendarã, diserte expressum reperi. Quæ me res & Aurati mei iudicium admirari, & ne tantam studiosis vtilitatem inuiderem, sanè effecit.

## CAPVT XIV.

*Propertius coniectura emendatus.*

**L**ibet nunc, postquam Tibullo satis esse factum putamus, etiam Propertio, Collegæ  
illius

illius *καὶ σὺν ποικίλῃ* aliquod grati animi munus exhibere, quidq̃ ex eius temeraria propè dicam, sed verè dicam, lectione fructus fecerim, liberè fateri. Propertius itaque, quem verè *Transmarinam Venerem* appellare possumus (cum propter varia in eo à Græcis tralata dicendi genera, tum etiam propter quasdam & audaces & proprias sibi Phrasès, quas in alio Poëta haud temerè reperias) scribit lib. I I I. ad Tullum, cui iam multo tempore *Cysicum placere frigidam* queritur, vt in Italiam redeat, & patriæ officium præstet atque amicis. Hoc vt faciat Poëta, Tullum per omnes Græciæ præclaras vrbes deducit, & quæ maximè in his visenda sint demonstrat; eadè, vt omnia hæc vnum in locum conferas, Italiæ tamen felicitati cessura, Propertius Tullio persuadere conatur. Inter ea verò, quæ Italiæ laudibus adscribit, & istud est, quod nec terrestribus, nec aquaticis serpentum generibus infestetur, quæ omnia in Propontide esse eum docet.

*At non squammoso labuntur ventre Cerastra,*

*Itala portentis nec fuit vna novis.*

Quid primo versu significetur, satis equidem liquet, quid verò sequenti, etiam atque etiam obscurum est. nullo præsertim idoneo existente sensu ex verbis incommodissimis. Ego cum accuratè rem omnem dispexissem; deprehendi eadè omninò expeditius fore negotium omne, si hunc in modum relegamus versum Propertij: *Itala portentis nec fluit vnda novis.* Hic verus est & germanus loci istius sensus, quantum quidem conie-

coniecturæ dandum est, quæ aliquando rationibus adiuta doctis tam certa esse potest, quam vel manuscripti Codicis oculata auctoritas. Nec verò difficilis est erroris huiusce ratio. fieri enim potest, vt literæ quædam vetustate ipsa non tam corrumpantur, quam etiam planè euanescant & depereant. Librarius verò postumus & imperitor, id ipsum quod ex naufragio illo annotatis emerferit, in tabulas suas, nulla ratione in consilium vocata, transcribat. Sic optimi nunquam auctores & temporis iniuria, & librariorum vel imperitia, vel latissima culpa mutili atque corrupti ad nos deueniant; & non prius medicinam accipiant, quam vel reperto exemplari manuscripto, vel certè doctiorum coniecturis aliqua illis ex parte subueniri possit. Satis autem credibile est omnia (quæ quidem ad nostram ætatem fuerint) exemplaria manu descripta ita habuisse, quandoquidem impressa idem edant omnia. Cum autem nullo pacto hæc labes elui potuerit, Codicum scriptorum opera, quod illi certè vnum, idemq. loquerentur, coniecturæ proximus fuit locus. quam equidem hoc in loco referre visum est, cum vt alios ad similia auctorum vulnera sananda excitarem, tum etiam vt in hoc Propertij carmine doctiorum ingenia exercebantur, si quid fortè melius reperire possent. Ioannes Auratus, quem ego vicum plurimi vt meretur facio, cum illi de hac re Parisijs adesset, dicebat videri sibi duriusculam hanc esse loquendi rationem, vt *Vnda portentis fluere* dicitur,

retur, nihilominus si id probarè vel apud alium Poetam, vel etiam apud eundem esse auctorem, sibi vehementer placituram esse coniecturam meam, cui ego eadem in Elegia similem dicendi modum esse persuasi ipso statim versu primo:

*Tulle, Propontiacæ quæ fluit Isthmos aqua.* Addebat hîc Auratus noster, & Musarum, etiam hoc modo legi posse versum: *Itala portentis nec facit vnda nouis*, vt non aptam esse alendis monstris Poëta significet. Quod autem attinet ad *Fluit* nostrum, non vno id loco sollicitatum est in Propertio. nam lib. iv. Eleg. ix. quæ de morte Caci est, ita Anus luci respondet Herculi fontem quærenti, & fontem luci illius, quem Anus illa incolebat, ait verò:

*Dij tibi dent alios fontes: hæc lympha puellis  
Aua secreti limitis vna fuit.*

Certè hoc loco, *Fluit* legendum est, nam & hoc sententia requirit, & Ara maxima ab Hercule post excitata, ad quam puellis adire nefas esse voluit vltor Hercules. & alibi:

-- *Non illa mihi formosior vnquam  
Visa, nec ostrina cum fuit in tunica.*

Et hîc credo commodè, *Fluit*, legas. Sic Tibullus: *Vt mea luxuria Nemesis fluat.* Ego, quid mihi de superiori loco, & his paucis optimum videtur, iam exposui; & satis, vt volo, feci. Si cui verò vel manuscriptum exemplar, vel coniectura ipsa melius suaserit, libens libensque de opinione mea abiero.

## C. Calphurnij Poëta locus interpolatus.

**E**Xstat suaue inprimis & iucundum parentis rustici cum filio colloquium in ijs, quæ Bucolica appellat Calphurnius. hinc persuadet nato pater rustica hac viuendi ratione nihil esse tum beatius, tum etiam optandum magis, docetque interea iam senescens pater, quæ vera sit disciplina rerum rusticarum, quis modus, quæ conditio: cū de ouium tonsura abundè dixit, venit ad earum notas & signa, quæ nisi fallor extremo in armo imprimi consueuerant, tum vt hoc quasi signo vicini pecus in agro compascuo suis inustum gregibus dignoscatur, tum verò vt lites molestæ euitentur, quæ ex hac re suboriri possunt, verba Calphurnij sunt huiusmodi:

-- -- -- -- *Vni quoque pondera mellè  
Argenti coquito, lentumque bitumen abeno,  
Impressurus oui tua nomina. nam tibi lites  
Afferet ingentes lectus possessor in aruo.*

Monet hinc pater filium, vt gregem totum sibi designet & inscribat, rationemque aliquam addit, sed ridiculam sanè & nullius sensus; imò alicuius, sed peruersi. videtur enim dicere hac ratione imprimenda ouibus nomina dominorum, vt lites nobis concilemus: quod ipsum indignum omni ratione est, & à sententiâ Poëtæ longè est alienissimum. Ego qui in his rebus, vbi desperata est salus, more meo vtor, reponendum & rescribendum conijcio:

reponendum & rescribendum conijcio:

-- -- -- *Nam tibi lites*

*Afferet ingentes lectus possessor in armo.*

Hic versus, & hæc senilis ratio quin sincera, & propè dixerim Calphurnij sit ipsa, nihil equidem dubitare me fateor. Dicit verò Poeta, vel Senior potius, hac ratione notandas oues, vt \* lites euitentur multæ per hanc *armi signati Legem*. *Lectus possessor* hinc aliud nihil est, quam nomen ipsum possessoris lectum in armo pecudis suæ. De hac ratione nominum imprimendorum parum sanè apud auctores bonos legere memini, nisi illud Virgilij quod ex Georgicon III. est, & multum & plurimum facit ad Calphurnij sententiam:

*Post partum cura in vitulos traducitur omnis:*

*Continuoq, notas, & nomina gentis inurunt.*

Sed & Festus *Signare*, inquit, *significat modò scribere, modò annulo signa imprimere, modò pecora signis notare*. Et alio in loco: *Dignorant, signa imponunt, vt fieri solet in pecoribus*. Illud autem prius, *Lectus possessor in aruo*, qui defendet sibi, Calphurnio quæto ne defendat. Ab illo enim hoc ego defendendum, depellendumq. cenfeo. nam & languidulum est & ineptum, & à Calphurnij maiestate nihil omnino facit. Hætenus.

## CAPVT XVI.

*Festi Pompeij loca duo.*

**M**ulta legerit oportet, multa cogitarit, plurima verò meminerit, qui Festi Pompeij, auctoris antiqui, Fragmenta non refarcire, quod nefas est, sed aliqua tamen ex parte quid in multis velint sibi, ostendere possit & velit. Nos sanè illud, quod Canis è Nilo delibabimus, nimirum paucula, & sic effugiemus non Crocodili assultus, sed tamen reliqua Festi opera interrupta, minasque murorum ingentes. At bene habet, quòd hoc nostro sæculo Architecti plures doctissimi hoc Festi opus in commune locatū habent, cuius certè redemptionem etsi non sperent, aliquando suis tamen posteris illam à Repub. literaria euenire posse prudenter intelligunt. Ego quidē etsi illis artificibus me adiungi fas non puto, idem tamē in illorum postumis me esse facile possum perpeti, dum tamen eodem iure laudis eriscundæ vel diuidundæ cum illis, pro rata parte, vti frui mihi liceat. Sed nos tandem locato operi manum demus. Festus in Saliari Carmine *Promenervat*, ait significare, quod *Monet* apud nostros. Sciendum verò Horatium, cum de obsoletis & obscuris Veterum Carminibus disputat ad Mæcenatem Epistola illa doctissima etiam, Saliarium Carminum meminisse, ait enim:

*Iam Saliare Numæ Carmen qui laudat, & illud  
Quod mecum ignorat solus vult scire videri, &c.  
Itaque quod ignorare se faretur Horatius, illud equi-*

equidem & nobis exhibere negotium pati possumus. Sed & illud huc facit, quod apud Festum illum Carmen est Saliare, sed nuda tantum verba aliquot, ex quibus quid efficias, etiam atque etiam dubitandum est. *Promenervat* tamen quid originis habeat, possum cum Festo intelligere. Nam ille alio loco, quod & apud alios memini obseruare, *Minervam à bene monendo dictam scribit*. quanquā Cornificius apud illū satis suo iure, quòd *singatur pingaturque minitans armis* appellatam putet. Hoc illud est, quod in Saliari Carmine *Promenervat*, pro *Monet*, accipi debere ait Festus. Ac sanè *Meneruam* veteres dixisse non dubito, vt *Deanam*, & *Deum*, quem antea *Dium* vocabat. vnde *Me Dius Fidius*, quod nescio, an apud Festum rectè pro Iouis filio Hercule accipiat. Et *Dij* sanè ipsi facile arguunt, patrem sibi *Dium* esse, quod est Iouem. Quod volo comprobatur etiam Cato Senior, cuius apud Festum hæc sunt verba:

*Domum cum auspiciamus, honorem me Dium immortaliū velim habuisse, serui, ancillæ, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit.* Sed hoc loco ineptissimè ad marginem repositum est, *Deum*, quod in Festo nimis frequenter factum est ab imperitis. Non possum hinc me continere, quin quod ad rem pertinet adscribam vnicum, quod Grammaticos frustra torfit hactenus, & etiamnum torquet scio. Id est huiusmodi. Sæpe apud Terentium est, & Comicum Plautum: *Quid me fiet?* quod illi sic

D

expe-

50 IVCÆ FRVTERII BRVG.  
 expediunt sibi, vt esse putent, *Quid de me fiet?*  
 Quasi verò, si id voluissent, non ita quoque ex-  
 tulissent antiqui, sed nimirum indulgent sibi  
 Grammatici nimium quantum, & errant, qui  
 hoc cum illis sentiunt. Nam prò eo *Quid mi fiet?*  
 ponitur apud Terent. & alios. quod satis ex Festo  
 licet colligere, qui ita scribit: *Me pro mihi dice-  
 bant antiqui, vt Ennius cum ait: Si quid me fuerit hu-  
 manitus, vt teneatis. & Lucillius: Nunc ad te venio,  
 vt quares me impendet agatur.* Sed & Plautus prò  
 me facit, & Terentium interpretatur, cum scri-  
 bit in Bacchid. & difertis verbis enuntiat quod  
 volo: *Quid* (inquit) *mibi fiet?* Quod solum potest  
 esse satis ad sententiam meam confirmandam.  
 Et tamen vnum aut alterum locum Festo addã,  
 & mihi interim consulam, & illis satisfaciam, si  
 fieri id quidem potest, qui nihil aliud sunt quam  
 Grammatici. Itaque Varro Rei Rust. lib. II.  
*Non minus res admiranda, cum mi esset dicta, in Ar-  
 cadia, scio me esse spectatam suam, quæ præ pingui-  
 dine carnis non modo surgere non posset, sed etiam  
 vt in eius corpore forex exesa carne nidum fecisset,  
 & peperisset mures.* Et apud Plautũ in Aulularia.  
*Neque partem ab eo, qui qui est, inde posces, ne-  
 que furem excipies?*  
 LY. Ita. EV. *Quid si fallis LY. Tum me faciat,  
 quod vult magnus Iuppiter.*  
 Addam prò corollario Capitis huius, ratio-  
 nem, cur *Me* prò *Mi* dixisse videantur Latini.  
 primũ illa est certissima, quòd hæ literæ E. &  
 I. communem habent familiam, & modò in  
 hanc,

VERISIMILIVM. LIB. I. 51  
 hanc, modò in illam transeant, altera & mea ra-  
 tio hæc est. puto ego antiquos *Mei* scripsisse,  
 comprehensis literis Græcorum more, ut in aliis  
 casibus, quod constat postea abiectum esse alte-  
 ram vocalem, quod in alijs etiam factum scimus  
 ab antiquis. Sic *reiam* dicebant *plaustrum*, & *Ve-  
 iarios stipites*, & *Veraturam*. Ac illud Varronis  
 maxime facit ad sensum meum, *Viam ab antiquis  
 Veam esse dictam à vehendo.* Sed Plauti illud ni-  
 mium est verum: Sapienti verbum sat est. Sic &  
*Sibe*, & *Tibe*, quæ pro *Tibei* & *Sibei* in antiquis  
 monumentis sunt. Sequatur itaque qui volet  
 sententiam quam volet. ego quod volui effeci; at  
 quam effectè & concinne, iudicent doctiores.

CAPVT XVII.

*L. Apulei locus vnus correctus, & alter illustratus.*

**A** Puleius in ijs, quas prò se scripsit, Apolo-  
 gijs sanè ostendit quantus vir fuerit. nec  
 ego vereor dicere, quicquid alij sentiant & oc-  
 centent, doctissimum fuisse hominem, & (quod  
 præcipue vrgent illius aduertarij) Latinæ linguæ  
 vel exactissimum Censorem, quod equidem, si  
 vltus veniat, demonstraturum me facillimè con-  
 fido. Scribit hic Philosophus, oris & dentium  
 munditiem obiectam sibi, tanquam ea Philo-  
 sopho indigna essent, quod volebat calumnia-  
 tor Æmilianus, Apuleius in contrarium vrget, &  
 probat, nil minus quam oris illuuiem libero &  
 liberali viro conuenire. Eius verba, quibus sen-  
 tentiam

D 2

tentiam suam affirmat, sunt isthæc: *Planè quidem, si quis ita vt tu Aemiliane, nunquam sermè os suum nisi maledictis & calumnijs aperiat, censeo, ne vlla cura os percolat, neque ille exotico puluere dentes emaculet, quos iustus carbone de rogo obtriuerit, neque saltem communi aqua perluat, quin ei nocens lingua, mendaciorum & amaritudinum præministra, semper in foetutinis & olenticetis suis iaceat. Nam quæ malum ratio est, linguam mundam & lotam, vocem contra spurcam & terram possidere? viperæ nitu, niueo denticulo atrum venenum inspirare? Ceterum qui sese sciat rationem prompturum neque inuilem neque iniucundã, eius meritò os vt bono potui poculum pralabitur. Nihil hîc est in verbis proprijs & elegantibus quod offendar, nisi illud vnũ quod extremum est: *Vt bono potui poculum pralabitur.* Neque enim sensus existit aliquis, ne dicam vllus. Ego itaque qui didici veteres V, & B, nonnunquam confundere, cum Cluentium *Habitum*, pro *Auito* scribunt & *Abere* pro *Auere*; atq. olim in Pauli quodam loco doctissimorum Iurisconsultissimum & Iurisconsultissimorum, doctissimum Cuiacium *Abita patrimonia* pro *Auitis* accipienda docuisse; ita hoc in loco legendum puto; *bono potui poculum pralauitur*, pro *Pralauatur*. Alium nunc locum proferam non quidem æquè obscurum, quamuis & obscurum, & pessimè interpunctum: *Primò igitur, inquit, legerunt è ludicris meis Epistolium de Dentifricio, versibus scriptum ad quendam Calphurnianum, qui cum aduersus me eas literas promeret, inuidit profecto cupiditate**

*ditate ledendi, Si quid mihi ex illis fieret criminofum, id mihi secum esse commune.* Difficultatem huic loco peperit *Inuidia*, imò *Inuidit*, verbum inuisum & ignoratum ijs, qui hæc descripserunt. Vult enim Apuleius dicere, Calphurnianum, cum versus illos, quos de dentifricio subscribam contra Apuleium aduersarijs prodiderit, non vidisse, hoc est *Inuidisse*, se sibi iniuriam facere, si modò aliquod crimen acciperent versus, vel darent auctori. Sic Aufonius:

*Ignoscenda isthæc, an cognoscenda rearis,  
Attento, Drepani, per lege iudicio.*

Prò ijs dicit, qui premi debere iudicantur, versibus. Sic itaque rescribendus est Apuleij locus: *Primo igitur legerunt è ludicris meis Epistolium de Dentifricio, versibus scriptum ad quendam Calphurnianum; qui, cum aduersus me eas literas promeret, inuidit profecto cupiditate ledendi, si quid mihi ex illis fieret criminofum, id mihi secum esse commune.*

Nunc addam, pro corollario Capitis huius, ipsos Trimetros Apulei, tum quia lepiduli sunt, tum quia emendatione quadam egere mihi videntur:

*Calphurniane salue properis versibus.  
Misi, vt petisti, munditias dentium,  
Nitelas oris ex Arabicis frugibus;  
Tenuem, candificum, nobilem puluisculum,  
Cbmplanatorem tumidula gingiuiula,  
Conuertitorem pridiane reliquæ,*



*Ne qua visatur terra labes sordium,  
Restrictis forte si labellis riseris.*  
Secundum illum versum ita constituto: *Misi,  
vt petiisti, mundicias dentium.* Reliqua huius-  
modi sunt, vt ne Momus quidem ea refellat, ne-  
dum ego, qui Auctoris gloriae in primis faueo.

## CAPVT XIX.

*Locus Festi sincerè emendatus ex auctoritate Quin-  
tiliani Rhetoris.*

**Q**uantum Grammaticorum & Rhetorum  
auctoritati dandum sit, in ijs præsertim  
quæ apud Festum sunt obscurissima, nemo est  
modò aliqua humanitate imbutus, qui non vi-  
deat. Ego quidem ea semper opinione fui, vt  
Grammaticis & Rhetoribus in hoc negotio pri-  
mas tribuerem, idque non aliena ratione, cum  
& illi meliora habuerint exemplaria, & diligen-  
tius excusserint omnia; tum denique quod nihil  
omniò citarent, quod non ad rationes suas &  
regulas (quas vocant) peropportunum esset.  
Quod quidem vt manifestius fiat & illustrius,  
Festi locum vnum adducam, quem in omnibus  
libris esse corruptissimum scio, nec potuisse con-  
iectura faciliè sanari, aut expleri, etiam scio. Sic  
habet Festus: *Recipie apud Catonem pro recipiam,  
vt alia eiusmodi complura.* Id mihi quidem pri-  
ma facie rude & impolitum videbatur, ita hanc  
dictionem terminari apud Catonem. & tamen  
qua ratione adiuuari Festus posset, non sanè vi-  
debam;

debam; adeoque de loci istius emendatione de-  
sperabam, cum paulò post temporis in Orato-  
rios Quintilianus libros incidi, in quibus depre-  
hendi statim ipso initio gratum quiddam mihi,  
sed quod Festo ipsi numero gratius sciebam fo-  
re. Quintilianus itaque, quo loco de Orthogra-  
phia multa scribit luculenter & grauer, Cato-  
nem Cenforium in verbis ferè omnibus, in qui-  
bus A scribimus, illum E scripsisse ait, adeò vt  
*Dicem & Faciem*, pro *Dicam, & Faciam*, relinque-  
rit. sed præstat ipsius auctoris verba adscribere:  
sunt illa huiusmodi: *Quid? non Cato Cenforius,  
Dicam & Faciam, Dicem & faciem scripsit: eun-  
demq; in ceteris qua similiter cadunt, modum tenuit?  
quod & ex veteribus eius libris manifestum est, & à  
Messalla in libro de S. litera positum.* Si eundem  
certè, quod vult Quintilianus in similiter ca-  
dentibus modum tenuit, dubio procul apud Fe-  
stum, *Recipiem* legendum est, & ita locus repo-  
nendus: *Recipiem apud Catonem, pro Recipiam,  
vt alia eiusmodi complura.* Huc addendus & al-  
ter locus Festi, qui eadem medicina indiget. *At-  
tinge* (inquit Pompeius) *pro attingam posuere.*  
Hoc quoque loco, *Attingem* reponendum esse  
vident docti omnes. Itaque nos manum de  
Tabula.

## CAPVT XIX.

Agellij aliquot loca.

**S**cribit Agellius libro i. capite xv. probè à veteribus & scitè dictum esse, eorum orationem qui plurima & incondita & temeraria effutirent, in ore nasci, non in pectore. Sunt verò Agellij hæc verba: *Qui sum leues & futiles & importuni locutores, quicq; nullo rerum pondere immixti, verbis humidis & lapsantibus desluunt: eorum orationem bene existimatum est in ore nasci, non in pectore. Linguam autem debere aiunt non esse liberam, nec vagam: sed vinculis de pectore imo, ac de corde apertis moueri, & quasi gubernari.* Cum in hunc locum incidissem, mirabar equidem illum tanto tempore medicina caruisse: cum facillimè sanari posset, resectis, quæ superflue sunt, quibusdam literis. Quid enim est dicere, *Linguam debere vinculis de pectore imo, ac de corde apertis moueri*. Quin potius, imò rectius legimus hoc modo: *Linguam autè debere aiunt, nō esse liberam, nec vagā, sed vinculis de pectore imo, ac de corde apertis moueri, & quasi gubernari.* Vinculis aptis, hic est, aptatis & alligatis, à Græcorum ἀποτομαί. Ne verò nouum, vel potius inusitatum quibusdam videatur, adducam Catulli locum, vbi idem verbum similiter accipi intelligimus. Scribit itaque illè; *Aptis sarcinulis & expeditis.* vbi substrictas & alligatas sarcinas, quæ in viam deferuntur, accipere debemus. Et Virgilius III. Georgicōn.

Dehinc, vbi libera colla

*Seruitio assuèrint, ipsis è torquibus aptos*

*Iunge pares, & coege gradum conferre iuuenocos.*

Sic illum superiorem Agellij locum semper esse enodandū censui, cum non longo post tempore contigit mihi exemplar manuscriptum, vetus quidem illud & emendatum satis, sed hoc solo peccans, quòd non omnes Agellij libros contineret. In hoc exemplari hic locus ita legebat: *Sed vinculis de pectore imo, ac de corde aptissimo vebi.* Quod esse corruptum statim sensi, sed tamen suspicioni meæ, quam de hoc loco multo antè habuissem, vehementer facere. Si enim distinguas illa, fiet, *Aptis si mouebi.* Nunc autem sæpe accidit, vt eandem litteram geminent librarij. quicquid id est, tandem *Aptis* emergit & remanet. quod ipsum Agellij loco optimè conuenit. sed nos ad aliam transeamus. Eodem in libro cap. v i i. citat Agellius versum Plauti ex Amphitruone, sed corruptum, nam legit: *Non verò mihi in mentem fuit.* aliter manuscriptum illud Collegij Trilinguis exemplar in quo exstat, *Numerò mihi in mentem fuit.* Et in Codicibus Plautinis ita exprimitur, vt apud Agellium est rescribendum. Ad finem istius Capituli sunt hæc verba: *At si explicuit, diceret, imperfecto & debili numero verborum sonus clauderetur.* Rectius, vt mihi quidem videtur, est in manuscripto illo, quod sic habet: *Imperfecto & debili numero verborum sonus clauderet.* Adiungam & vnum locum, qui est capite i i x. de

58 LVCÆ FRVT. BRVG. VERIS. LIBI.  
 μεταμελεια Demosthenis; qui cum ad Laidem  
 adiret, sibi que corporis sui copiam fieri rogaret:  
 Λαις μυριας δραχμίας ἢ τάλαντον πορῶσσι; hoc fa-  
 cit, nummi nostratis denarium decem millia. Ta-  
 li petulantia mulieris atque pecunia magnitudinis  
 icus, expavidusq; Demosthenes, auerit iter: &  
 discedens; Ego, inquit, panitere tanti non emo.  
 Hic Codex manuscriptus sincerius maledo ha-  
 bet & rectius: legit enim, Pecunia magnitudi-  
 ne icus, expavidusque Demosthenes aueritur, &  
 discedens, &c. Fortè & in hoc loco legen-  
 dum est: Demosthenes auerit, &c. Agellij  
 enim hæc sunt, aut ego fallor. Nunc verò, si  
 priorem illam & Agellij lectionem sequimur,  
 bisidem inculcari videbimus. Quid enim aliud  
 est, Auertere iter, quàm discedere? sed Aueri  
 vel Auertere, longè aliud vult. idque plerum-  
 que expavidis & attonitis accidit, præsertim ve-  
 rò risu excipientibus dictum alicuius ridicu-  
 lum, vt sese auertant, & secum mirentur, &  
 rideant soli.

L.V.

59  
 LVCÆ FRVTERII  
 BRVGENSIS VERISIMI-

LIVM LIBER II.

CAPVT I.

Locus Plauti ex ipso auctore emendatus.



VANTO antiquior est auctor  
 quispiam, aut remotior à vulgi  
 fordibus, hoc & corruptior, &  
 fidei peioris esse consuevit.  
 Sciunt illi me nihil dare auribus  
 meis, quibus ea felicitas est, vt  
 libros manu descriptos apud se habeant; & arbi-  
 trari ex re nata possunt, quod nobis vt assequa-  
 mur egregio labore constat. Et tamen quicquid  
 id est nostrum, tam placere debet studiosis, quàm  
 illud quod ex eorum refici potest libris, vel non  
 potest credo semper, nam & illi nonnunquam  
 sunt corruptissimi. Nimirum Plauti hic locus,  
 quem adducam, fidem faciet sententiæ de his  
 nostræ. Exstat ille in Menechmis vbi insolenter  
 suaque sponte infanientem generum socr à lo-  
 rarijs in medicinam sublimem dari iubet, quem,  
 vt fortè obuiam fit, seruus Sosidis liberat Messen-  
 io; cui pro ea re gesta Surrepticius ille optima  
 quæque apprecatur, aitque:

Et tibi Dij semper adolescens, quisquis es, faciant  
 bene.

Nam

*Nam si absque te essem, hodie nunquam ad solem occasum viuerem.*

Paucis credo hic Plauti locus suspectus fuit, & qua ratione emendaretur etiam credo paucis illis obscurum fuit, mihi verò & suspectus fuit semper, & multa auctoris optimi lectione, quid vitij esset latente causa paullo post deprehendi. Nam vbi id consilij in auctore aliquo veteri tenes, vt omnes illius elegantias, & dicendi flosculos cautè obserues, dici vix potest, quantum auxiliij ad loca aliquot corrupta & difficilia pararis tibi, quod nos pro nostro ingenio in singulis auctoribus obseruamus, & sic Plauti locum esse rescribendum censemus:

*Et tibi Dii semper adolescens, quisquis es faciant bene.*

*Nam absque te esset, hodie nunquam ad solem occasum viuerem.*

Hæc Phrasis, *Absq; te esset*, ita Plauto est familiaris, vt exemplis supersedendum mihi putari. Belgica quoque lingua nostra id antiquitatis seruat. nam dicimus, *Ten hadde door v geveest*. Illud superius, *Nam si absque te essem*, pingue quiddam sonat & versum perturbat. Itaque dicit Menechmus, si Messenionis præsentis auxilio caruisset, sibi eo die moriendum fuisse. Illud verò, *Ad solem occasum*, ex Formulæ antiquis est desumptum, in quibus erat: *Sol occasus suprema tempestas esto*.

CA-

## CAPVT II.

*Marci Varronis locus apud Nonium restitutus.*

**Q**uamuis hoc in stadio literarum currentibus nulla nonnunquam palma expectanda est, imò nulla expectanda est aliquando, hæc tamen eripi nobis non potest, quin elegantissimam Varronis de vitæ humanæ stadio anticipati sententiam, quoad eius fieri potest, emendemus, & in numeros suos restituamus. Vt enim Terentius noster venustè vult dicere, Nemini Fortunam perpetuo esse bonam, nec à carcere cepto itinere, æquabili cursu ad metam contendere, ita fanè vt hoc dicar verbis commodis & suis apud Nonium destituitur, & quod est caput rei, peruerso verborum & versuum numero pleaque sibi non constant. Ita legis apud Nonium:

*Nemini*

*Fortuna currum à carcere intimo missum leuè*

*Inoffensum per aquor candidum ad calcem sibi.*

Hæc omnia quam elegantem sententiam habeant, non dicam; quam tamen efficere debeant, vti volo speroque, proponam. Sic itaque legendos Varronis versus existimo:

*Nemini Fortuna curru à carcere emissum intimo,*

*Leuè, inoffensum, per aquor candidum ad calcem tulit.*

Nunc dicam, & vident omnes, quid hoc loco facinoris fecerimus, primum illud *Carcere intimo missum*, mutauimus pro ratione carminis *Quadrati*, & scripsimus, *Carcere emissum intimo: ex Sibi*

*Sibit* autem, quod nequam est & nihili vocabitulum, *Tulit* fecimus, pudenter credo & commode. Certè *Sibit*, quod aliquis ex *Sibit* effici posse crederet, huic loco perexiguè faceret, imò dicā, quod sentio, ineptissimum esset. Quare videant doctiores, an aliquid viderimus, nos quidem nobis satisfacimus.

## CAPVT III.

*Accij Plauti locus ex Festo emendatus, qui nullis libris manuscriptis adiuuari potuit, nisi ipsius Plauti Chirographis.*

SÆpe hoc mecum optare soleo, ne Typographica res illis temporibus enata esset, quibus quidem literæ aliquæ fuerunt, non tamen in eam dignitatem & splendorem venerant, quo in splendore & dignitate nostro esse hoc sæculo conspiciuntur. Quod licet votum meum quibusdam placitum non est, ego tamen cur ita exoptem rationem studiosis exponam & doctis, quorum calculum facile me assecuturum confido. Nolo hîc commemorare, quanquam res est grauissimè perniciofa, quot quantisque non mendis literarijs, sed verò emendationibus malis contaminarint auctores bonos, quod in dies magis magisque apparet, sed illud oculis siccis scribere & meminisse non possum, horum hominum improbitate atque inficitia antiquissimos nobis Codices funditus perijsse, quos Vulcanus omnes *seu villibus flammis* inuoluit, ne quid mali furti aut probri

probrî ad superos efferrent postmodum. Et verècor sanè, ne Telchines isti locum nobis Plauti corruerint, quem nunc emendare meditor, certè in omnibus quæ quidem viderim exemplaribus (vidi autem quampluria) omnibus iisdem literis versus editur. vt suspicer Librariorum culpa factum, qui antiquæ vocis interpretamentum in textum coniecerint, priore illa & optima voce, sed illis nimirum incognita, violenter & præter æquum loco suo emota. Locus Plauti, ne longum faciam in Amphitruonis Prologo existit, quem ego mala possessionis titulo Prætoria cautione eiectum legitime multabo, ipsumque loci dominum inducam, qui violenta ratione possessionis suæ causam & modum perdidit. Plauti locus ita se habet:

*Nunc hoc me orare à vobis iussit Iuppiter,*

*Vt conquisitores singuli in subsellia*

*Eant per totam caueam spectatoribus,*

*Si cui factores delegatos viderint,*

*Vt his in cauea pignus capiantur togæ.*

*Sive etiam qui ambissent palmam bisfrionibus,*

*Seu quouiquam artificis, seu per scriptas literas,*

*Sive qui ipsi ambissent, seu per internuntium,*

*Sive adeo Aediles perfidiosè cui diuit,*

*Similem rem ipse in legem iussit esse Iuppiter,*

*Quasi Magistratum sibi alteriue ambiverit.*

In his credo nullam esse fraudem existimant plurimi, atque idem existimatum est iam toto sæculo à viris doctissimis. mihi tamen hospiti quodammodò & peregrino in his rebus, quæ humanitatis

nitatis rationem subducunt, non modò non videtur tolerari posse, quod vrgeo, sed verò exturbandum longissime quicquid est glossariæ improbitatis. & ex Festo ipsissima Plauti & antiquissima *ἐπιπαιρῖς*, restituenda videtur, quod eundem iam iamque effectum dabo, si prius, vt omnia legenda censeo, describam. nam & priora cum corruptela sunt, & facillimè ijs succurri potest tum ex Chirographis, tum apertissimis coniecturis. Sic itaque totum locum rescribo:

*Nunc hoc me orare à vobis iussit Iuppiter,*

*Conquistores singuli in subsellia*

*Eant per totam caueam spectatoribus.*

*Si cui fautores delegatos viderint,*

*Vii his in cauea pignus capiantur togæ.*

*Si verò qui ambissit palmam Histrionibus,*

*Sive quoiquam artificè, seu per scriptas literas,*

*Sive ipse ambissit, seu per internuntium,*

*Sive adeo Aediles perfidiose cui diunt,*

*Sirempse lege iussit esse Iuppiter,*

*Quasi Magistratum sibi alteriue ambiuerit.*

Ecce verò nunc ea subscribam, in quibus alium me præsto à superioribus illis, primum illud, *Vii his*, ex Codice Chirographo est. quod sequitur autem: *Si vero qui ambissit*, nostrum, quicquid est tandem, hoc est. In omnibus quidem est, *Sive qui ambissent*. quod nec ad versum, nec ad Plauti venustatem aliquatenus facit, nostrum illud, *Si verò*, nec mihi quidem maximè placet, dum tamen exemplaribus melioribus caremus in his Verisimilibus meis hoc ludicrum appareat licet.

*Ambissit,*

*Ambissit*, denique ex ratione legitima eductum est, sic enim antiqui concipiebant legum suarum verba, vt dicerent. *Qui contra hac eierit, fecerit, faxit, facit*. adeoque hic præsens esse possit *Ambissit*, si infelici quadam argutia hic opus est omnino. Nunc illud est, cum me esse Tullium exoptem, vt quibusdam durissimæ cervicis hominibus ceruices adeoque cerebrum ipsum emolliam, quanquam illis non ita anxie placere isthæc cupimus, & cupimus tamen. nam omnibus omnino prodesse velle debemus. si modò hæc ratio disciplinæ humanitas vocanda est, vt vocitanda est certè. Magna quidem res hoc in foro vertitur, cui tamen in iudicium deducendæ facilis sanè labor & obuius fuit. At verò qui hanc rem, siue litem approbare tantæ concioni difficile foret illi, qui rem ab alio vix enarratam satis, ipse vellet perorare incognitam. Sed ego spero omnibus bonis præ me. facilia fore hæc omnia. Itaque hoc dico, carmen illud quod in nostris exemplaribus insedit, glossam esse Grammatici cuiusdam qui sciret voculam illam que hic desideratur (*Siremps*, nimirum est ea) significare *Similis eadē ipsa res*. Sic enim Paulus apud Festum: *Siremps dicitur, quasi similis res ipsa. habetur hoc in libris Catonis*. Ecce verò quod dico; nec dubitandum, cum audimus eadem prope modum personare. namque habemus: *Similem rem ipse in legem iussit esse Iuppiter*. In quo si non hoc animaduertas versum esse alienum à Trimeteris legibus, omnino tamen Latinitatem re-

E

quiras.

quiras. Poterant equidem scribere: *Similem ipse legem iussit esse Iuppiter*. Sed malo, ita ut auctus in veteribus est, ediderint locum, quam illud ingeniosæ fallaciæ obiecerunt nobis. illud enim effecissent hoc pessimo suo bono, ut via, quæ iam quasi manu duxit me ad veram credo Plauti elocutionem, ea planè mihi facilis & peruia esset visa; nec quicquam pænè desiderassem. nunc verò ex illis reliquijs malè confarcinatis hoc boni emergit, ut erroris occasionem cum mecum inierim, tum omninò nihil dubitem quin Plautus cum Catone & saculo suo scripserit. *Sirempse lege iussit esse Iuppiter, &c.* hoc erit: *Simili re ipsa lege*. quod cum ad marginem ex glossis Veterum adiectum esset, Librarij (quod nimis heu frequenter perpetrarunt) hoc illud in textum contulerunt. non tamen sine labe quadam, cum de versu ageretur, alioqui eisdem procul dubio verbis edidissent scio, ut in multis auctioribus factū iustissimè dolemus, atque ut semel dicam quod sentio, certè nescio quid velint illa verba: *Similem rem ipse in legem iussit esse Iuppiter*. Quid est enim? *Similem rem in legem iussit esse*. Sed nimirum ita suspicari libet in margine fuisse. *Simili re ipsa*, quod est, *Sirempse*; indeque deformatam bellam istam & festinam phrasim. Atqui dicat aliquis; Cur non & reponis, cum sequi vestigia huius glossæ debeas: *Sirempsem legem iussit esse Iuppiter*. Respondet huic obiectioni Sospater Charisius, Principis notæ Grammaticus, *Sirempse tantam duos casus accipere*, principem nimirum,

& quo

& quo Græci destituuntur in suis. Itaque hoc loco *Sirempsem* inculcari non posse, aliud quod reposui, genuinum esse Plauti deierem. nimirum dicit Comicus, Iouem Theatrales hæc notas, & culpas ea lege sancire, qua puniuntur ambitus rei, siue in sua causa, siue aliena ambiuerint. Verba sunt Catonis apud Festum; quæ non malè facerent nostræ suspicioni, si modò integra essent. & tamen ut ut sunt adscribam, sunt verò huiusmodi:

. . . . Cato in dissuadendo le . . . .  
 . . . . licita est, & præterea rogas . . . .  
 . . . . ea si populus condemna ve . . . .  
 . . . . fiet quasi aduersus le . . . .

*Sirempse*, in his fragmentis postrema linea paruisse mihi videtur, nempe hoc modo:

*Sirempse fiet, quasi aduersus leges egerit feceritue.*

Eadem ratione & Plautus loquitur, cum ait:

*Sirempse lege iussit esse Iuppiter,*

*Quasi Magistratum sibi alterius ambiuerit.*

Atque illud addam pro corollario Capitis huius, etiam verba hæc solemnia fuisse in Legibus antiquarum harum Legum, ut scriberent: *Sirempse Lex esto*. Hæc sunt apud Festi. Commentatorem Italum:

DE EO AGRO SIREMPS. LEX. ESTO.

In alia tabula:

SIREMPSQVE. EIS. VIATORIBVS.  
 DEQVE. EIS. VIATORIBVS. Q.  
 OMNIVM. RERV. I VVS. LEXQVE.  
 ESTO. QVASE I. SEI. EI. VIATORES:

E 2

IN

IN. EAM. DECVRIAM. IN.  
 TRIBVS. VIATORIBVS. ANTEA.  
 LECTEI. SVBLECTEI. ESSENT.  
 QVAM. IN. QVISQVE. DECVRIAM.  
 EORVM. EX. HAC. LEGE. VIATOR.  
 LECTVS. ERIT. SIREMPSQVE. EIS.  
 PRÆCONIBVS. DEQVE. EIS. PRÆ-  
 CONIBVS. QVÆSTORI. OMNIVM.  
 RERVM. IVVS. LEXQVE. ESTO.

Sciendum denique Plautum maximè curiosum fuisse omnis vetustatis legitimæ, omnibusque ipsdem verbis vti. quod pluribus locis obseruauimus, nec opus est hoc loco nos multos esse in istis, quæ doctos homines quidem iuuare non possent, indoctis autem vereretur ne cerebrum excuterent. Itaque sapientibus verborum credo est datum satis. Nos manum de tabula, quod aiunt.

## CAPVT IV.

M. TER. *Varronis loca duo apud Nonium emendata.*

PLurima sunt apud Nonium Marcellum, non incelebrem Grammaticum, quæ vel ad elegantias Veterum faciant, nisi plerumque corrupta sint & malè accepta ab indoctis. & sunt nonnulla, imò dicam compluria, quæ ad vitam & mores informandos plurimum & adferunt fidei & disciplinæ; nisi & illa quoque maximam

partem

partem in litura essent, & fallerent parum cauti lectoris securitatem. Nos quidem, qui id consilij & rationis habemus cum Musis atque auctoribus bonis, vt illorum sententiam non perfuntoriè transeamus, nec (quod faciunt plerique) vt in omnibus idem dulcedinis sibi fingant, id nos imitamur in his rebus. Dum igitur nuper apud Nonium, quid *sacrum* esset veteribus, addisceremus, Terentij Varronis elegantissimam *vsu* eruimus. namque illa reuera demerta erat excidio. Ecce ita habes in Nonio:

*Signata sacra esse deserunt posteaquam homines sunt facti.*

Equidem ex his inelegans sententia existit, & tamen si vnica vocula accedat optimam sententiam effeceris, & versum, qui nullus iam cernitur, Quadratum eduxeris. Nimirum ita sapient Varro:

*Signata sacra esse deserunt, postquam homines facti sunt sacri.*

En tibi verissimum atque præstantissimum elogium viri sapientissimi. cur illud extremum addiderim, iam vident docti: sed magis credent necessariò adijciendum fuisse, si intelligant Nonium, *sacrum* prò execrabili & scelesto, interpretari eo loco, quo hunc adducit Varronis versum. Atqui in superiori illo nihil erat, quod ad scelestos referres, & verò ludit in Paronomasijs frequenter Varro, cum dicit; *Sacra resignata*, enulgata, & prostituta esse cœpisse; cum iam homines scelesti & sacri sunt effecti. Addam nunc



locum Varronis alium, qui quidem maiori industria eguiffe videbitur doctis. & merito sanè, sed tamen nescio quo fato mihi obuēnit leuiffimè, vt pleraque omnia, quæ à coniectura mihi sunt oborta in his libris. Locus est in Nonio, vbi, quid *Saperda* sit antiquis, diligenter annotat. Nimirum *Saperda elegans & sapiens vocabatur*. Hoc vt probet, Varronis istec citat ex Menippea, quæ Modius inscribitur:

*Omnes videmur nobis esse belli, festiui saperda,  
cum simus νεώποιοι.*

Nihil hinc credo venustatis captat eruditus lector. namque qui hinc sunt *νεώποιοι*, vel *νέποιοι*, quod alibi credo exstat. Ego qui scio Varronem pro more suo ludere, non dubito quin legendum sit, vt subscribam:

*Omnes videmur nobis esse belli, festiui, saperda,  
cum simus νεώποιοι.*

Sic tandem aliquid dicit Terentius, ne plurimum dicam. Quid hinc *νεώποιοι* sint, qui *Saperdis* opponuntur, sciunt qui vel primoribus laijs Græcas literas attigerunt. Itaque verbum non addam.

#### CAPVT V.

*Ex Fragmentis veterum Poetarum loci plures  
restitui.*

**M**agno sanè cum bono atque voluptate elegantium ingeniorum Fragmenta veterum Poetarum venerunt in lucem, quæ prius impro-

improbo labore (nam quo nomine appellem hanc industriam?) Robertus Stephanus ex varijs auctoribus collegit: post deinde Henricus Stephanus illa in commodiorem methodum redacta nobiscum communicauit. sed hoc miror, hominem ingeniosum tot tantisque mendis leuiffimis dico conuuisse, sic ego appello illa (ne quis hinc *νεώποιοι* me putet) quorum emendatio ita mihi nihilo constitit, vt aliqua non prius perlegerim, quàm emendarem. Atqui hoc dico, ne quidam malè feriat homines hæc ita esse ingeniosa putent, vt ipsi sese ingeniosos prætent in meis scriptis. quod etiam Martialis abhorruit, sed maiori fateor cum ratione, quàm nos, quibus capitalis istæc ingeniositas futura nõ est, quod Martiali euenire poterat, si quis Epigramma aliquod, ficto quod plerumque facit nomine ambiguum, in aliquem directum detorsisset. sed nos ad rem veniamus. Ordinem autem ab Achille Accij, qui primas in Fragmentis tenet, ac prius fateor leuiusculum erit, sed fortasse ad Accij sententiam magis faciet, quàm illud quod est in nostris tale:

*Ne tum cum seruat pectus iracundia.*

Quin potius reponimus:

*Ne dum cum seruat victus iracundia.*

Ac sanè vt dicam quod sentio, istæc leuia nullam grauem auctoritatem mereri debent, & in adia-phoris ponantur licet. quod iam appingam spero grauius futurum doctis. Accius Æneadis vel Decio:

*Calleti voce, canora fremita peragunt minitabiliter.* Ecce omnia quidem hæc nulla sunt, quæ aliquid erant nimirum, si leuissima mutatione ita scribamus:

*Gallanti voce, canoro fremitu peragunt minitabiliter.* Alius hic credo: *Calenti voce,* etiam repone posse contederet. ego dubito an satis ad maiestatem Accij faceret ista caliditas. Itaque *ἐπιέχου*: Hoc illud superius, *Gallanti voce,* nemini nouum esse debet, qui modò legerit apud Nonium, *Gallare, & Gallulascere.* Næuius Exodio: *Puerum mulieri prestare nemo scit quando melior sit, cuius vox gallulascit, cuius iam ramus roborascit.* Nonius, *Pubescit* interpretatur, nescio à qua causa, sed nimis sæpe Nonius ad secundas causas nos reiecit, cum priores tamen ignoremus. Atqui illud non hic omittam, mirari me, quid hæc verba ad Decium Accij faciant, quæ satius Baccharum titulo continerentur. sed fieri potest, quod infrequens non est in Nonio, ut suo loco non positus sit versus, vel sanè inscriptio sit falsa. Et cum hæc est harum rerum conditio, ut ferè semper dubitandum fluctuandumque sit nobis, dubito & ego de superiore facinore meo, a quoque vel in illis sub, *Calleti voce,* nomen Tragicocomediæ latere, vel etiam denique legi posse: *Galle tibi voce canora fremitum peragunt minitabiliter.* ut alieno loco inculcatum videri possit. Eodem in Decio est aliquid, quod credo non sibi constat, id tale est: *Et nunc quod eorum segnitas ardet focus.* Malim ego simplicius & rectius, nisi fallor, legere: *Et*

nunc

*nunc, quæ eorum segnitas, ardet focus.* Aliquis Argutior credo etiam legeret ex superioribus vestigiis: *Et nunc Deorum segnitate ardet focus.* Ego non ausim Deos hoc crimine, quo vulgo tamen vrgentur, vrgere. prius minus ambiguum videtur mihi, & sequendum magis. Pergimus. Accius Andromeda:

*Quod beneficium haud sterili in segete Rex te obesse intelligis.*

Hic quoque, ut alibi, semper hærendum est lectori incauto; negligentem verò omnis fructus perit. dicam breuibus, quod in re est. ita legendum existimo cum sua quadam venustate:

*Quod beneficium haud sterili in segete, Rex, te obesse intelliges.*

Ecce ut grata est Andromeda, ut purè eloquitur, quod tacere sine probro non possit. *Obesse* hic est pro obseuisse, ut in Metaphora maneat Andromedæ oratio. Hic hic latebat vitium, quod sublatum & carmen pulcherrimè fulcit, & Accium nobis hac in parte imitandum proponit. cuius & hoc, quod nunc adscribam, perturbatum est. Namque ubi legitur apud Macrobius in Accij Armorum Iudicio:

*Nam trophæum ferre me à forti viro pulchrum est:*

*si autem & vincar, vinci à tali nullū est probriū.*

Non satis credo intelligitur, quod genus carminum lateat. Ego existimo Trimetros constitui posse, si ita reponamus:

*Trophæum ferre me à forti pulchrum est viro.*

*Si autem & vincar, vinci à tali nullū est probriū.*

Imò etiam sic feribi poterunt, vt propius ad vestigia superiora accedamus:

— Nam *trophæum ferre me à forti viro,*  
*Pulchrum est; sin autem & vincar, vinci à tali*  
*nullum est probrum.*

Sic sanè torquere nos debemus in rebus hisce ambiguis & perplexis. Sed hic Protheus, cùm ità nonnunquam se permitit in varias formas, fieri non potest, quin scopum meditetur, quem his rationibus persæpe allequitur. Habes in eodem Armorum Iudicio: *Virtuti is par, dispar fortunis patris.* Sanè legendum est, si rationem Trimeri spectamus:

*Virtuti sis par, dispar fortunis patri.*

Et Virgilius cum idem exprimere voluit, mecum paria facit. dicit enim:

*Disce puer virtutem ex me verumq; laborem;*  
*Fortunam ex alijs. Accius Epigonis:*  
*Nunc pergamus, supplicij placans calitum aram*  
*expleam.*

Hæc omnia non tam ad Calitum opem respiciunt, quàm ad Herculis cuiusdam ἀλεξίμωνε industriam, quæ ità præstari potest, si neglectis monstris hoc iter insistantus: *Nunc pergam, vt supplicij placans calitum aras expleam.* Hic non tantùm illud præstitimus, vt emendaremur corruptum locum, sed etiam versum quadratum constituimus, qui antea erat nullus. Pergimus.

Accius ἐπι νουσιμαχῆ:

*Mundam falso sanctâ obtexus sanguine, atq. acer-*  
*bos alta in amni corporis expleui hostico.*

Equi-

Equidem hoc loco nihil in mundo est mundum, & in mundo est tamen nobis, vt emendemus istæc & purgemus. Henricus Stephanus, *Mundam* hanc suspectam habet; nec id iniuria. namque hoc in vocabulo omnis elegantia Latinitatis demersæ est quasi adobruta. Ego ità legendum credo:

— *Vndam falso sanctam obtexi sanguine,*  
*Atque acervos alta in amni corpore expleui*  
*hostico.*

Ecce vt elucent omnia, quæ antea tenebricosa erant maximè, vt sapiunt auctorem suum, quæ prius insipida barbariem meram olebant. Hadrianus Iunius, vir singularis, in Nonio suo pronuper edito ità legit; ἐπι νουσιμαχῆ: *Cum Andriam vndam, &c.* atq. ità legitur in Nonio quod ignorabam ἐπι νουσιμαχῆ *Andria: Mundam, &c.* Ego de *Andria vnda* nihil vnquam legi. etiam credo, *Scamandriam vndam falso sanctam obtexi sanguine*, legi possët. Sed hæc semel dicam μάλα ἀπορίσια sunt, quæ tamen, si vsus veniat, defendi possent. Nunc ecce Accij versus pulcherrimos & floridissimos, quos ego quidem multis olim tēpestatibus sapere docui, vel (quod est verius) consistere perfecti in pedes suos, vnaque literula adauxi audaculus. Apud Nonium veterem propemodum & nouum ità leguntur: Accius Myrmidonibus:

*Tu pertinaciam esse Archiloche hanc predicar.*

*Ego peruicaciam aio, & à me vt i volo.*

*Nam peruicacem dicis me esse, & vincere*

*Persa-*

*Perfacile patior, pertinacem nil moror.*

*Hæc fortes sequitur, illam indocti possident,*

*Tu addis quod vitio est, demis quod laudi datur.*

In olim impressis ineptè legebatur: *demis quod laudatur.* Nos id ante annos aliquot vidimus, & emendauimus, *Laudi datur.* Quod gaudeo Iunium nostrum in Chirographo suo deprehendisse. Verùm nos ne actum agamus, iam denuò hos versus describemus, vt secundus qui est in istis antiquitatem suam legitimè obtineat. ait Aëtius:

*Tu pertinaciam esse Archilochæ hanc prædicas.*

*Ego peruicaciam aio, & ea me vti volo*

Vide mi Lector quid ausus fuerim, vbi legebatur credo inuenistè:

*Ego peruicaciam aio, & à me vti volo:*

Feci, *Ea me vti volo.* quæ dicendi Lex in antiquorum Edictis persæpe est obuia, vt exemplis esse opus non existimem. Pergimus nos Accij telam detexere. Scribit ille iisdem Myrmidonibus:

*Quod sicut decuit ista res mecum, aut meus meritarè dolor,*

*Iam diu inflammari & ardere naues vidissent suas.* Achillis hæc sunt verba, deuorantis iniuriam Regis securo in littore. vnde strages Græcorum conspiciebat pertinaci lumine. Sed hoc nihil est, nisi describamus versus ipsos qui latent:

*Quod si vt decuit ista mæchum, aut me eius moraret dolor,*

*Iam diu inflammari, ardere naues vidisset suas.*

Iam hîc addam, nihil me tribuere primo illi ver-  
sui,

fui, quem forsitan peruertisse possum: sed illud assero, secundum bene habere. nam que illud quod est in vulgatis, *Iam diu inflammari & ardere*, nihili est, & Grammatastri infelicis commentum, qui aliquid desiderari crederet. Sed antiqui non ita ineptiunt in hisce minutulis, vt hoc sæculo facimus nos ipsi, & nefas putamus, ac maiestatem Latini sermonis nobis periisse clamitamus, si non semper has coniunctiones interferamus, quas neque Sallustius obseruauit, vt diligenter adnotat Cornelius Fronto, nec Cicero credo ipse. Sed nimirum istæ, vt alia multa, Ciceroni violenter extorta sunt à suis asinis, *Ciceronianis* volui dicere. Accius Neoptolemo:

*Vbi nihil contra rationem & quam habuit assensit silens.*

Quod ex his verbis colligas nihil est, quod emendes aliquid est, nimirum ita erunt emendata aliquatenus:

*Vbi nihil contra rationem æquam habuit, assensit silens.*

Verfus nunc est, & sententia non mala, quæ prius nihili erat & nequam. Est & in Neoptolemo locus, qui nullis placere possit, cum mutulus sit. Est autem talis:

*Do & pudet quæ grauium me, & vero piget.*

Piget etiam nos huius loci. nescio enim quid sibi velint hæc omnia: Ego si mihi satisfacere hîc vellem, ita legerem:

*Dolet pudetq, Grauium me, & verò piget.*

Non hîc dicam, quid coniecturæ meæ tribuendum

dum sit. namque in his rebus alea quædam iacienda semper, neq. Venerem sperare possimus timidi. Sed & illud meminisse debemus, frequenter omninò præ Venere Canes damnosos subsilire. Hac re tamen nobis eripi non potest, quin & tertium in Neoptolemo locum indicemus. *Decorare* (inquit) *est satius quam urbem tenuis*. Nescio quid hæc decori sit in principe vocabulo, quod neque sententiam aliquam facit, & ipsum tamen id efficere poterit, si legamus:

*Deos ornare est satius, quam urbem tenuis.*

Etiam credo hoc nostrum nihili est; atque utinam semel ea felicitate essent literæ, ut Nonium purum putumque haberent, mea que hæc ludicra ad me redirent, quibus ego quidem uti frui ut meis possem, non tamen Accij esse cogerer profiteri. Hæc nos quædam à Nonio mutuabamur, quorum pleraque si reuieret Nonius, sua esse negare posset, scio. Namq. quo non torqueamus inuita quædam? Sed verò vehementibus hisce atque inueteratis corruptelis & morbis, acribus omnino remedijs depugnandum est.

## CAPVT VI.

*Albii Tibulli carmen emendatum atque expositum.*

**T**ibullus quo loco Sulpiciam sacrificantem describit his ferè verbis agit:

*Natalis Iano sanctos cape thuris aceruos,  
Quos tibi dat tenera docta puella manu.*

*Tota*

*Tota tibi est hodie, tibi se lætissima compfit,  
Staret ut ante tuos conspicienda focos.*

His versibus Poeta Domina suæ ornatam, & causam illius Iunoni acceptam fert, sed verò uti hoc dicat, commodis credo verbis non vitur, latetque secundo in carmine leue quidem mendium, & tale tamen mendium, quod sententiam auctoris peruertit, atque antiquitatis rationem nobis subducit. verum enim verò facile tolli potest, & sublaturum nescio quantum venustatis afferet secum, ipsiq. Tibullo plurimum Romanæ simplicitatis concedet. Nam certè iam ineptit cum ait: *Tota tibi est hodie*. Credo elegantius ita loquimur: *Tota tua est*. atque ita scripisset, si hac voce uti voluisset. Sed aliud in herba latet, & legendum est, quantum ego iudico: *Lota tibi est hodie*. Sic idem Poeta de eadè Sulpicia ad Martem:

*Sulpicia est tibi culta tuis, Mars magne, Calendis.*  
Ecce hæc est: *Sulpicia est tibi culta*, ut supra: *Lota tibi est*, & *Compfit se*: nec ego ad hanc emendationem tam adductus sum duriori illa Latini sermonis ratione, quam verò sollenni quadam antiqui moris lege, qua cautum erat, ut qui ad Deos accederent, *flumine*, ut ait ille, *vinò sese abluerent*, post deinde cetero etiam cultu essent conspicui, de manuum ista ablutione, ut plura dicam, nihil est. vnum illud Plauti satis est, quod in Anulularia legis huiusmodi:

*Ego, nisi quid me vis, eo lauatum, ut sacrificem.*  
Denique Pollux ἀπορροήματα inter προσύρτας τὸς θεὸς locat.

CA-

## CAPVT VII.

M. Catonis locus apud Gellium explicitus, vñq; legi  
debeat indicatum.

**Q**Væ exstant M. Catonis apud Gellium de  
matrona bene dotata, atque de seruo recepti-  
tio, ea non tam corrupta, quam obscura; neque  
tam obscura, quam inepta videri possunt; si vt in  
omnibus impressis frequentantur, ita eis temerè  
vtendum putemus nobis. Catonis hæc sunt:

*Principio nobis mulier magnam dotem attulit. Tū  
magnam pecuniam recipit, quam in viri potestate non  
committit, eam pecuniam viro dat mutuam: postea  
vbi irata facta est, seruum receptitium sectari atque  
flagitare virum iubet.*

Ex hoc Catonis loco quid Receptitius seruus  
veteribus fuerit, doctissime colligit Gellius, &  
Verrij Flacci, qui multo aliter sentiebat, opinio-  
nem promptissime refutat. Atqui pulcherrimis  
hisce in verbis illud vitij est, quod & distincta  
sunt perperam, & non intellecta ab illo, qui con-  
tinuam Catonis dictionem à reliquo orationis  
corpore diuulsit, debet verò legi hoc modo:

*Principio nobis mulier magnam dotem attulit, ma-  
gnam pecuniam recipit, quam in viri potestate non  
committit.*

Nunc quæ me ratio, vt ita sentirem legenda  
istæc, mouerit, dicam; primum totius orationis  
æquabilitas, deinde vnica Prisciani auctoritas,  
qui apud veteres Tulo in vsu fuisse affirmat. De-  
nique vltima hæc ratio optima est, quâ Agellius  
ipse

ipse præstabit nobis. namque eodem Capite ita  
scribit: Sed vereor vt non nihil vacillet locus:

*Ipse etiam Cato mulierem demonstrare locuple-  
tem volens:*

*Mulier, inquit magnam dotem dat, & magnam  
pecuniam recipit:*

*Hoc est, & magnam dotem dat, & magnam pe-  
cuniam retinet.*

Hoc vnum etiam auidissimis sufficere pote-  
rat. sed aliquid quoque à Sosipatro veniat opis  
nobis. Scribit ille III. libro Grammatic.

*Sustuli, eius perfecti instans Sustulo est, atqui dice-  
bant antiqui Magnam dotem ad nos attollit: Cato:  
Magnam dotem attulit, quod geminum est. Dotem  
attollit est adfert. Dotem attulit, est dotem attollit.*

Et verò ne longè abeam, Virgilij quendam  
locum subtiliter & verè interpretari libet mihi,  
qui talis est:

*Vrbem, quam dicunt Romam, Melibæe putaus  
Stultus ego huic nostræ similem, quò sepe solemus  
Pastores ouium teneros depellere fœtus.*

*Verùm hæc tantū alias inter caput extulit vrbes,  
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.*

Certè cum dicit Poeta, tantum alias inter caput ex-  
tulit vrbes, hoc dicere eum existimo, Romam in-  
ter alias vrbes tantum excellere atque efferre ca-  
put, quantum exsuperant viburna cupressi. &  
credo sanè à præsentī maiestate & politia com-  
mendat Romam, atque *Extulit caput* attollit &  
effert, hic significare lubet suspicari, alij olim tri-  
tam insistant viam. mihi placet callis musteus.

## CAPVT IIX.

*Ennij versus apud Gellium integritati suae restitui.*

**A** Pologus est Aesopi Phrygis apud Gellium libro II, cap. xxix. de amicorum & propinquorum leui & inani fiducia. Verba sunt Gellij: *Hunc Aesopi Apologum Qu, Ennius in Satyris, scitè admodum & venustè versibus quadrati composuit, quorum duo postremi isti sunt, quos habere cordi, & memoria opera pretium esse hercle puto.*

*Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm,*

*Ne quid exspectes amicos, quod tu agere possis.*

Cum hoc versus apud Gellium legerem, etiam atque etiam dubitabam de fide exemplaris mei, recurri itaque ad Aldi codicem, ut aliquid opis mihi ille praestaret, sed idem omninò apud illum reperi. Putavi igitur nihil esse reliqui praeter coniecturam: feci proinde studiosè id & nauiter: & extorsi tandè istud boni, ut versum Quadratum, quod Gellius volebat, efficerem. sic itaque legebam:

*Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm,*

*Ne quid exspectes amicos, quod tute agere possies.*

C. quoque Plinius Epistol. lib. II. ad Octavianum in eandem sententiam scribit: *Sed dispice, ne sit parum prouidum, sperare ex alijs, quod tibi ipse non praestes.* De hac suspitione mea aliorum facio iudicium. certè huic loco nil aptum magis inue-

inuenire potui, praesertim verò cum vnus literarum adiectione omnis difficultas tollatur. *Tute*, repositui, ut hiatus omnis indecens tolleretur. & alioqui prior lectio retineri possit. nā saepe apud Comicos obseruare est, vocales aliquando non absumi. id quod à Graecorum Poësi traxit Romana antiquitas.

## CAPVT IX.

*Festi locus ex Nestoris sententia verè emendatus.*

**V**ilescunt, adeoque ridentur superioris ferè saeculi auctores Grammatici. inter quos Nestorem, Catholicotem, Dathum, & alios numerari video. qui quidem omnes, ut rudi & indocto saeculo claruerunt; ipsi tamen ætatis suae principes exstitere. quin etiam hoc dicere auisim, plus veræ diligentiae ab eorum vno in studijs positum esse, quam hoc felici saeculo à decem alijs. aded obscura erant & impedita omnia, ut nil præclarum esse persuaderet sibi, quod non idem & obscurum & difficile existeret. Quæ certè res, miserumque eorum fatum, illis esse me æquum iudicem dedit semper, atque aded ad eorum lectionem pellexit. Nuper itaque cum Nestoris Nouariensis Dictionarium percurrerè, deprehendi statim plurima, quæ ille ex Festo, Nonio, ac Donato, alijsque Grammaticis citaret, multò diuersissimè legi ijs in libris, qui nobis quotidie in manibus sunt. Feci igitur stu-

diosè, & locos aliquot cum Codicibus nostris cõtuli, & sæpenumero variam lectionem, eamq. rectissimam obseruauit. Inter alia verò quæ ex Festo adnotaram, vnum fuit mirè elegans & rectum, quod erat huiusmodi. Scribit Festus, *Cracentes* ab antiquis prò *Gracilibus* positos; idque confirmat Ennij versiculo, qui talis est: *Succincli gladijs media regione cracentes*. Scribit è diuerso Nestor in verbo *Gracilis*, & inter alia veteres *Gracens* prò *Gracilis* dixisse persuadet, Festi auctoritate adiutus, quæ ex superiori illo loco deriuabatur. Ceterum Nestor, *Gracentes* legit; & sic versum Ennij reponendum docet:

*Succincli gladijs media regione cracentes.*

Id certè quin rectum sit, & propè dicam Festi ipsius, nil sanè ob stare puto. nihil enim absurdi sit, si à *Gracilis*, *Gracens* fecerint antiqui; cum è diuerso multò sit obscurissimum illud *Cracentes*; tamen & hoc Plautino quoque suffragio firmari ac defendi possit; qui *Crassari*, prò *Grassari* versus pauerit in Pœnulo; cuius loci enodatio tot tantisque sæculis doctos homines occupatos habuit; & certè à nemine facilè ex coniectura inuestigari poterat; præsertim verò cum Lector omne casum, sacrosanctum esse ipso nomine, tum re sciat: & putet omninò quiduis etiam ineptissimum, auribus modò antiquum sit, rectum & incorruptum esse.

CA-

## CAPVT X.

*Loca duo Propertij correctæ ex Sosipatri & Diomedis sententia.*

**N**unc etiam Propertio suus à Festo dandus est locus, qui licet à te, Murete doctissime, ex Veterum codicum fide sit etiam doctissime emendatus, est tamen in eo (quantum quidem per ætatem iudicare mihi licet) aliquid, non dicam à te minus excussum (hoc enim vel suspicari piaculum esse ducere) sed tamè ex Grammaticorum fide emendandum & restituendum. Id cum tibi aliquando Parisiis ostenderim (cum te in has Musarum sedes opportunissima Cardinalis tui Estensis legatio adduxisset) tuoque iudicio approbarim, non temerè me facturum putauit, si his libris coniectaneorum insererem. Est verò huiusmodi. Propertius libri II. ad Cynthia Elegia penultima, vbi de vini incommodis agit, sic scribit:

*Vino forma perit, vino corrumpitur etas,*

*Vino sæpe suum nescit amica virum.*

*Me miserum, vt multo nihil es mutata Lyao.*

*Iam bibe, formosa es; nil tibi vina nocent.*

*Cum tua propendent demissa in pocula fersa,*

*Et mea deducta carmina voce legis.*

Sic versus hi in omnibus, quæ quidè viderim, exemplaribus leguntur. nec id immeritò; cum præsertim in manuscriptis quoque codicibus, vti suspicor, nulla sit diuersitas, idque ex scribentium audaci vecordia effectum sit, qui & veteri



illa & proba lectione offensi eam suo loco emovere sunt ausi. Debet verò versus ille,

*Cum tua propendent demissa in pocula sarta.* Legi hoc modo, quem Sosipater hîc præscribet. Hęc autem sunt ipsius verba: *Sarta, fæmininè exstulit Propertius, & Cornelius Seuerus.* Propert.

*Cum tua propendent demissa in pocula sarta, &c.* Seuerus: *Huc ades Aonia crinem circumdata sarta.* Ex hoc Sosipatri loco versus ille Propertij emendandus est. & alioqui animaduertit Lector Charisianum istud & mollius esse & rotundius, quàm prius illud, quod & rudè est & ingratum. Et de hoc plus fatis. ad alia veniamus. Diomedes, vbi de *Nexo* multa meminit, veteres *Nexo, Nexis, & Nexisti* dixisse persuadet. idque auctoritate Propertij, quem ita scriptum reliquisse testatur. *Eligia vi. ad Cynthiam:*

*At tibi, qui nostro nexisti retia lecto, &c.* In omnibus certè impressis Codicib. *Tendisti retia lecto,* legitur, non quidem absurdè, sed minus rectè. quandoquidem id à sciolo quodam immutatam suspicari libet. Semper autem Grammaticis in hac parte credendum est; qui & doctiores sunt, & attenti magis, quàm rude illud Libratorum, sed audax genus. Quare consulerem illi, qui veteres auctores, Sallustium, Plautum, Apuleium pristinæ dignitati suæ restituere conatur; idque ope, atque ex fide codicum manuscriptorum; prius quidem in Grammaticorum lectione diligentem esse; eosque omnes locos quos

quos adducunt exscribere: & sic demum illos cum scriptis libris contendere.

## CAPVT XI.

*Næuij Carmen apud Gellium antiquitati suæ restitutum.*

**A**vlus Gellius cum, quid *Rescire*, & antiquè, & nouè significet, luculenter ostendit, versus Næuianos prò sententiæ suæ confirmatione adducit. Sunt verò hæc Gellij ipsius verba: *Aliier dictum esse Rescui, aut Rescire apud eos qui diligenter locuti sunt, nondum inuenimus, quàm super his rebus quæ aut occulto consilio latuerint, aut contra spem opinionemve vsu venerint: quanquã ipsum Scire, de omnibus communiter rebus dicatur, vel aduersis, vel prosperis, vel insperatis, vel expectatis.* Næuius in *Triphalo* ita scripsit:

*Si vnquam quicquam filium rescuero*

*Argentum amoris caussa sumpsisse mutuum:*

*Extemplo illò te ducam, vbi non despuas.*

Hos Næuij versus cum nuper admodum legerem, & Trimetros esse animaduertissem, senti continuo alterum illum pede vno longiorem esse. videbam verò, Libratorum, vel sciorum potius indocta audacia verbum antiquum loco motum: proque eo, nulla metri ratione habita, nouum istud successisse. Vetus autem, adeoque Næuij ipsius erat; *Sumpse*, prò *Sumpsisse*. quæ verbi Syncope antiquis valdè frequens fuit. Legebam itaq. versus hos modo illo quem subscribã:

*Si vnquam quicquam filium rescuero  
Argentum amoris caussa sumpse mutuum:  
Extempuld illo te ducam, vbi non despuas.*

Sic hocce versus esse legendos ipsa metri ratio, & adductum illud, adeoque rotundum & plenum Næuiani Carminis pondus desiderat. Videntur autem hæc à patrefamiliâs seruo dici; cui minatur grauem multam dominus, si filius vel ipsius opera, vel alterius certè instinctu argentum mutuatur ab aliquo. Erant autem apud antiquos Serui, filiorumfamiliâs plerumque & comites & inspectores vitæ totius ac morû. *Sumpse*, quod reposui, & antiquum est & probum; adeoque auctoritate nulla indiget. Similia enim mille in Veterum libris reperias, in quibus & illud Horatij quoque:

*Seruius Oppidius Canusi duo prædia diues  
Antiquo censu natis diuise duobus.*

*Fertur, prò Diuise.* Sic Catullus alibi:

*Aut facere ingenua est; aut, non promisse, pudice  
Ausilena fuit, &c.* Terentius denique in Adelphis non paullo absurdius verbum habet, quàm illud Næuij: *Nō tu eum hic modò rus produxe aiebas. Extempulo*, iussi imprimi, non tam quòd prius illud ineptum Næuio & antiquis esse putarem, sed quia *Extempuld*, magis à Veteribus vsurpatum viderem. Possent certè, *Extemplò*, legi, quum etiam in primo versu hiatus ille non absumat. Postremū verò illud vide an à Festo lucem aliquam accipere queat, ita inquam scribente:

*Doliola* (inquit) *locus est in vrbe sic appellatus,*  
quia

*quia inuadentibus Gallis Senonibus urbem, sacra in eodem loco doliolis reposita fuerunt. qua de caussa in eodem loco ne despuere quidem licebat.*

Et de hoc Næuij satis. nunc ad alterū quendam Festi locum veniamus.

## CAPVT XII.

*Festi Pompeij locus.*

**H**Oc ego emendationis genus esse presentissimum iudico & optimum, quod ex ipso auctore auctoritatem accipit & vigorem. Itaque Festi illud quod subscribam, vel mihi placere debet, vel displicere doctissimis. existimo enim merem factam habere & expeditam; sed alij fortè, qui plura & legerunt & meminerunt, quàm ætas mea adhuc adolescens vel legisse potest, vel meminisse, aliud à me diuersum sentient. & tamen committere nolui etiam dispendio existimationis meæ, quàm sanè vix ipse sustineo, quia de loco quodam Festi quod videretur mihi, liberè pronuntiareim. *Aduosem* (inquit Festus) *aduersarium significat & hostem.* Ego sanè quod sentio dicam. sentio ego vocem hanc vel obscuritatis habere nimium, vel esse interuersam & corruptam, legendumque *Aduostem*. *Aduostis* inde arcessetur, quòd idem Festus, *Fostim* prò *Hoste* dictum scribit antiquis, vt *Fædum*, prò *Hædo*. V verò cum F, plurimum habet notissimæ affinitatis. Quare vltra nihil probandum videtur; nec sanè quod sententiæ meæ addam habeo.

Viderint docti, si quid ego vidi; vel certe ipsi  
discipiant melius. mihi namq. inuisum & igno-  
ratum est illud Festi ænigma, si non est Libra-  
riorum potius commentum, vel incuria. quod  
equidem mihi persuadeo.

## CAPVT XIII.

*Laberij versus peruersi, in Trimeteros suos restitui  
apud Gellium.*

**L**ibrariorum audax & incerta industria mul-  
tos nobis auctores mutilauit atque corrupit.  
quum plerique versuum ignari, omnisque adco  
Antiquitatis rudes, audebant tamen quiduis in-  
uertere & immutare. hac ratione, n̄ fallor, indu-  
cti; quod nil putarent à posteris intellectum iri,  
quod non idem & ipsis in promptu & notitia  
existisset. Nuper id expertus dico. Legebam  
per otium Gellij librum x. in cuius xvii. capite  
iniucundam Historiam & miseram omnino de-  
prehendi, Democriti videlicet propriam priuā-  
que excecationem, quam ille suis luminibus at-  
tulerat, vt contemplationes animi vegetiores  
exactiores essent, si eas videndi illecebris & ocu-  
lorū impedimentis liberasset. *Id factum* (inquit  
Gellius) *modumq. ipsum, quo cecitatem facile soler-  
tia subtilissima consciuit, Laberius Poeta in Mimo,*  
*quem scripsit Responsum* (sic enim repono ex ma-  
nusc. codice, cum in omnibus, *Rectorem*, nullo  
hodie sensu legatur) *versibus quidem satis munitè*  
*atq. graphicè factis descripsit: sed causam voluntaria*  
*cecitatis*

Varræ Plauti  
Responsum ci-  
tat.

*cecitatis finxit aliam, veritq. in eam rem quam tum  
agebat non inoëcinniter* (vetus codex, Inoëcinnien-  
ter, habebat) *Est enim persona, qua hoc apud Labe-  
rium dicit, diuitis auari & parci, sumptum plurimum,*  
*ἀοοτὰν τε & propinationem adolescentis filij, de plo-  
rantis. Versus Laberiani hi sunt:*

*Democritus Abderites Physicus Philosophus cly-  
peum*

*Constituit contrà exortum Hyperionis, oculos*

*Effodere vt posset splendore æreo, ità radij s*

*Solis aciem effodit luminis, malis bene*

*Esse ne videret ciuibus: sic ego*

*\* Fulgenti splendore in pecuniam volo*

*Lucificare exitum ætatis meæ,*

*Ne in re bona videam esse nequam filium.*

Hos ego versus corruptissimos semper iudicauim,  
non tam quod Trimeri esse desisissent, quam  
etiam quod haberent verba aliquot non satis, vt  
videtur, sincera. Sed præstat de singulis rationē  
inire, vt sic tandem iustam summā conficiamus.  
ego igitur sic eos restituendos autumo:

*Democritus Abderites Physicus Philosophus,*

*Clypeum constituit contrà exortum Hyperionis,*

*Oculos effodere vt posset splendore æreo.*

*Ità radij s solis aciem effodit luminis;*

*Malis bene esse ne videret ciuibus.*

*Sic ego fulgenti splendore in pecuniam*

*Volo elucidificare exitum ætatis meæ,*

*Ne in re bona videam esse nequam filium.*

Hæc certa est numerorum ratio & dispositio,  
quam mihi coniectura leuis suggessit. De  
versuum

\* al. Fulgentis  
splendore pecu-  
niæ.

92 LVCAE PRVTERII BRVG.  
versuum genere nil addubito. de illa autē emē-  
datione mea nihil grauius, tantum hoc dicam,  
& à sensu Laberij esse & nostro. Vult enim Pa-  
ter ille, pecuniae splendorem, sicut clypei illius,  
extinguere sibi atatis suae exodium, siue extre-  
mam senectam. Hoc enim per *Exitium*, vel  
*Exitum atatis* intelligere Laberium puto. *Elucif-  
care*, est lucem eripere; *Exitium* verò prò *Exitu*  
apud Festum legimus, etiam ex Veterum sen-  
tentia, qui in tali significatione vocabulum istud  
habuerunt.

#### CAPVT XIV.

##### *Catulli locus examinatus.*

**V**alerius Catullus, quū monstruosam Cēlij, &  
Quinctij iuuenū duorū cū sorore & fratre  
libidinem, versibus munditer factis, eleganter  
describit, vehementer ambigit, vtri horum faue-  
re debeat impensius: tandemque inducitur me-  
moria officij inofficiosi, quod illi aliquando præ-  
stiterat Cēlius, vt in illum fauorem suum totum  
conferat. Sunt eius hæc verba:

*Cui faueam potius? Cali, tibi: nam tua nobis*

*Perspecta exigit hoc vnica amicitia,*

*Cum vesana meas torreret flamma medullas.*

In his versibus non tam verborum & sensus re-  
ctam rationem, quàm fidem desidero: adeoque  
subdubito, num modo isthoc existat in scriptis  
libris, præsertim verò cū videam impressos  
omnes, non *Exigit hoc*, edere, sed *Exigitur*. quod  
ipsum

ipsum parum Latinum cum sit, ex illo tamen,  
nisi fallor, sincera lectio deriuari potest. *Quid*  
enim vitij oblatum Catullo erit, si prò *Exigitur*,  
*Est igitur*, legerimus, sicque versum restituamus  
denique?

*Cui faueam potius? Cali, tibi: nam tua nobis*

*Perspecta est igitur vnica amicitia,*

*Cum vesana meas, &c.*

*Igitur*, hîc est *Tum*, cui mox Poëta *Cum* subiun-  
git, & talis sententia est: Cæli, me tibi fauere est  
æquum: nam vnica amicitia tua (id *Officiosita-  
tem*, cum Veteribus possumus appellare) perspe-  
cta est tum, cū me *atidnegasita* vehementius  
occupatum haberet. Illud *Exigit hoc*, aut spurium  
est, aut certè à malè sedulo quopiam, ac sinistra  
curioso Catulliani nominis amatore commen-  
tum, qui timebat, ne quis numerorum Censor  
acutior in Poëta diligentiam, vel potius metri  
scientiam desideraret, qui vltimam in *Exigitur*  
producere velle visus esset, cum tamen istius mo-  
di Penthemimeres Poëtis omnibus ita sint fre-  
quentes, vt nil dici possit frequentius: adeoq. id  
apud veteres commune fuerit. Vergilius:

*Omnia vincit amor. & nos cedamus amori.* Hæc  
mea est de hoc loco coniectura, quam eo consi-  
lio huc adscripsi, tum vt Catullo sua dictio re-  
stitueretur, tum ad eò vt intelligerem aliquando,  
num illud *Exigit hoc*, à mala manu, an à Codice  
aliquo Manuscripto huc proflexerit in contex-  
tum.

## CAPVT XV.

*Pompeij Festi locus expensus & emendatus.*

**C**VM nuper admodum frequens in Festi Pompeij lectione essem, multa in eo ab intima vsque antiquitate accersita obseruauī, tum moribus & consuetudine Veterum illustrata. I. deprehendi certè in his nonnulla, quæ prima quidem facie Lectorem minus curiosum latere atque effugere possent; quæ tamen si diligenti cura examinari contingeret ab aliquo, cum iudicio ea repetenti, parum Pompeiana esse ac sincera, nihilque adeò constare sibi, suo pte indicio proderentur. Nam præterquam quòd multa essent nullius propè sensus, erant etiam quædam, quæ manifestò corruptissima iudicare quis merito possēt. Quod certè mihi & vitiosum esse & peruersum videtur id adscribam; non quidem hoc consilio, vt in mea verba quenquam iurare velim, sed tamen quia id ratio mihi, quantula ea cunque tandem in me est, persuadet & dicitur. Pompeius sic habet:

*Petissere, antiqui prò Petere dicebant, ea quidem forma verbi, qua sunt Lacesere, & Incessere. sed, vt mihi videtur, tum significabant, Sapius petere, vt Petissant, sapius petant.*

Dicit Festus, *Petissere*, apud antiquos dictum, prò *Petere*, eâ formâ, quâ sit *Lacesere*: mox subiungit planius quiddam, vt *Petissere*, *Sapius petere* significarit olim. ad extremum verò, quasi exemplo prober, ait: *Vt petissant, sapius petant.* Quod vlti-

umum mihi semper esse corruptissimum vitium est, præsertim verò quum exempla non ex eo verbo, quo de loquitur, accersere soleat; sed à simili verbo. Lego itaque, mecumque Auratus meus, qui coniecturam hanc meam iudicio suo confirmare dignatus est, hoc modo:

*Petissere, antiqui prò Petere dicebant, ea quidem forma verbi, qua sunt Lacesere, & Facessere. sed, vt mihi videtur, tum significabant, Sapius petere, vt Petissant, sapius potant.*

Sic locum hunc Festi restituendum iudico, præsertim verò cum in exemplis adducèdis, non Optatiuis, vel Imperatiuis; sed Indicatiuis aut Infinitiuis vi soleamus. quæ ratio sola valere possit ad huius loci vitium, vel ineptiam potius indicandam.

## CAPVT XVII.

*Apulei locus vnus & alter interpolatus.*

**F**LORIDORUM libros reliquit Apuleius, varijs coloribus Rhetorum insignes, in quibus pleneque sunt, quæ delectant Lectorem, multa quæ erudiunt, plurima quæ in alijs scriptoribus desideres, in hoc reperias. Sed nimirum simile huic fatum est, quod optimis quibuscunque scriptis, vt à mendis non vacet Auctor emendatus. Nos, vt poterimus, illum quibusdam in locis sibi restituemus, vt se noscere aliquando incipiat. Nam certè vt nunc est, sua credo non quædam agnoscit, quæ vel sciorum sunt,

sunt, vel exscriptorum somnia. Incipiam à principio libri primi, quod mihi quidem & obscurum videtur vno in loco, & alio non satis integrum. Verba auctoris sunt hæc:

*Vt fermè religiosis viantium moris est, cum aliquis locus, aut aliquis locus sanctus in via oblatus est, votum postulare, portum apponere, paulisper assidere: ita mihi ingresso sanctissimam istam ciuitatem, quanquam oppidò festinè, præfanda venia est, & in hibenda properatio est.*

Primum quod offendit me est illud, *Portum apponere*: quod sanè à me discere non potui, fortè ab alijs discam. Alterum est: *Ita mihi ingresso sanctissimam istam ciuitatem, quanquam oppidò festinè, præfanda venia est.* Ego legendum putarem: *Quanquam oppidò festino.* Hoc enim velle videtur Apuleius. nam ita sententiam concludit: *Habenda oratio, & in hibenda properatio est.* Et alioqui intelligit Lector eruditus ex Comparatione viatorum, qui quantumuis festinent, tamen religioni moram interijciunt, & vota postulant, & suscepta soluunt. Sequitur statim: *At non itidem maior meus Socrates. Qui cum decorum adolescentem, & diutulè tacentem conspicatus foret: Vt re videam (inquit) aliquò eloquere. Scilicet Socrates tacentem hominem non videbat. etenim arbitrabatur homines non oculorum, sed mentis acie & animi obtutu considerandos. Nec ista re cum Plautum Milite congruebat, qui ita ait: Pluris est oculus testis vnus, quam auriti decem.* Imò enim verò hunc *versum ille ad examinandos homines conuerterat:*

Plauti

*Pluris est auritus testis vnus, quam oculati decem.* Puto hoc in loco duo esse menda. itaque sic lego, & de Socrate accipiendum existimo: *Imò enim verò hunc versum ille ad examinandos homines conuerterit* (vel certè, conuerteret) *Pluris est auritus testis vnus, quam oculati decem.* Nec enim, quum dicit *hunc versum*, alium debuit vel subiungere, vel certè eundem. Et sanè ex sequentijs facile est videre, quod dico. Nam ita Apuleius in Socratis sententia persistens adscribit: *Ceterum si magis pollerent oculorum, quam animi iudicia, profecto de sapientia foret aquila concedendū.* Addit ex eadem sententia de Aquila conspicacitate: *De celo improuisa simul campis pecua, simul montibus feras, simul homines vrbibus, vno obtutu sub eodem impetu cernens, vnde rostro transfodiat, vnde vnguibus inuncet vel agnum incuriosum, vel leporem meticulosum, vel quodcunque esui animalium, vel laniatum fors obtulit.*

Hoc loco, *Agnus incuriosus*, si subtilius argutari velimus; pro pingui & habitiore exponi possit, vt Plautus contra (Festo auctore) *Curionem agnū* vocauit *macrum*, qui nimia cura macruisset. Nunc porò quum licet, & est materia, gratum facere pergam curiosis, aut certè mihi. Libro I I I. Floridor. sunt hæc; de Philemone Comico, qui subitis imbribus ex Theatro cedens, quum iam tertio Actu iucundiores affectus misceret, promisit populo se postero die finem Comædiæ iam cæptæ impositurum. hoc vt dicat, vtitur his verbis: *Reliquum tum vanis postulamentibus, sine interinis*

G

terinis

*termissione de incipiti die perlecturum.* Videntur mihi hoc loco duo vitia concurrere. Quid enim est: *Tum vanis postulantibus?* Quin potius: *Cū venis postulantibus*, pro *Conuenis* reponimus: hoc est, ijs qui ad Ludos spectandos conueniant. Nam his celebritatibus & Actibus frequēs aderat conuenarum, & aliorum Græcorū Athenis multitudo. Vel certè, quod erit facilius: *vanis postulatibus*. Aliud est malè distinctum, ideoque parum sui sensus, & fortasse distinctum difficilius. Ego scribendum credo, *Deincipiti die*, id est, postero, ex Festo; quod sanè futurum puto plausibilius. Ecce nunc finem faciam, si vnum addidero, quod corruptum sanè est: & quo modo corrigi debeat adscribam. De equi commoditatibus sic loquitur:

*Hiscæ igitur moramentis omnibus qui volunt deitari, aduectorem sibi met equum deligunt. diutine fortitudinis, viuacis pernicitatis, idem & ferre validum, & ire rapidum; qui campos collesq; gradu perlabitur. Imò (vt ait Lucillius) tum cum eo equo per viam concito peruolant, &c.*

Male hæc interpungunt, & Lucillij versus mancus est, qui ita in pedes suos cōstitui potest:

*Qui campos collesq; gradu perlabitur vno. vt ait Lucillius.* Quasi dicat Apuleius, Equum deligi debere, qui pari gradu & agilitate in camporum planis, ac in montium abruptis feratur. Satis superque Apuleio datum est operæ. nunc ad Propertium.

C A.

## CAPVT XIII.

*Propertij locus emaculatus & expositus.*

**D**edita (inquit Festus) *dari significat*, adeoque idem est apud Vergilium: *Rumor deditur in vulgus*. quod in sermone communi & trito; *Editur*, vnde *Deditur*, pro *Datur* in vulgus, & *Dicitur in populo*. quicquid alijs subtilius arguantibus de hac voce videatur, qui *Dispergi* & *Dissipari* volunt esse *Didi*. nimirum credo pro *Diuidi* accipiunt per syncopen. *Didere* certè, & *Dedere* idem fuisse apud maiores suspicari libet. vnde & *Dare*, pro *Dicere* apud Virgilium. Sed enim cū hūc incidimus, ex hac noua veritate & Propertius adiunari potest; & quoniam potest, adiunabitur; non quidem mea opera, sed maiori & grauiore Ioannis Aurati, viri principis in his Disciplinis quas Liberales appellamus. cui est Latine Literæ debent multum, tamen Græcorum mōnimenta plurimum, quæ vir iste ita intelligit, vt non putem ab ipsis auctoribus plura in suam sententiam dici posse, quàm ille in alienam pronuntiat quotidie. Ille versum Propertij sic esse restituendum iudicat:

*Osculaq; opposito dicat sibi didita vento.*

Quod erit, malo augurio suauium tulisse. Ego *Dedita* existimo legendum, quod quidem est idē cum *Didita*; sed nimirum ad vestigia veteris scripturæ propius adspirat *Dedita*. nam nullo sensu sic est in nostris libris:

*Osculaq; opposito dicat sibi debita vento.*

G 2

Illud

Illud porrò quod est apud eundem Poetam:

*Dum pugnans Danaï, dū restat barbarus Hektor,  
Ille Helena in gremio maxima bella gerit.*

*Restat*, hîc est, resistit, & repugnat hostibus. quomodo etiã in Sallustio accipi debet hoc loco, qui est ex Historijs eius huiusmodi:

*Et ponere validam urbem multos dies restantem,  
pugnando vicit.* Sed hoc fortallè leuiusculum videbitur ijs, qui maiora semper meditantur. nec tamen puduit Festum in hoc verbo festiuorem & minus vulgarem significationem querere, quum *Restat*, pro *Distat* positum ab Ennio vult hoc versu:

*Impetus haud longè medijs regionibus restat.*

Illud porrò quod est libro 1 v. huiusmodi apud eundem Poetam, de Caci & Herculis historia, quem ex Hispania in Italiam traducit Propercius, defessum diuturno æstu, ac viæ labore scilicet, ad lucum puellis, non viris sacrum, qua de re animum sacerdotem sic loqui facit:

*Dij tibi dent alios fontes: hæc Lympha puellis*

*Auia secreti liminis vna fuit.*

Sanè hoc loco, *Fluit*, legendum monuimus alibi, quod & sensus, & sententiæ æconomia desiderat. Itaque sapienti verbum satis sit.

## CAPVT XIX.

*Ex Columella hortulo flores aliquot.*

**N**Vper Iunij Columellæ, diligentis agricolæ & docti libellum, quem de Hortorum cultu

cultu ad Siluinum scripsit, legebam. in quo vir ille doctissimus festiuè est versatus, & Virgilij vestigia persequutus. Nos ex illo flosculos aliquos collegimus, quos in sertum contulimus, oblaturi illud studiosis omnibus. eius itaq. Serti hæc sunt partes. Columella ad principium, vbi monet qua ratione Hortus muniri debeat, postea ad custodem eius, qui Priapus est, descendit, què vult non tam operosè & affabrè, quàm ruditer dedolari. Verba eius hæc sunt:

*Neu tibi Dedalea quarantur munera dextra;*

*Non Polycletæa, nec Phradmonis, aut Ageladæ*

*Arte laboretur, sed truncum forte dolatum*

*Arboris antiqua numen venerare Itiphalli*

*Terribilis membri, medio qui semper in horto*

*Inguinibus puero, pradam falce minetur.*

*Truncus forte dolatus*, hîc est, temerè & nullo artificio politus. Sic Horatius, *Fortuitum cespitem* vocat. Et illa *Priapi mentula sine arte*, quæ in Catullo est, huc pertinet. *Itiphallus* est Priapus. & verò apud Gellium credo perperam citari *Nanium in Triphallo*, quum *Itiphallo* legi possit, & debeat fortasse. *Itiphallica* certè Catulli citat Terentianus. *Pestita tellus*, apud hunc eundem est illa quæ ornata iam est & discriminata, ac in honestum modum & areolas suas composita, vtque obseratur, vel inspargatur præparata. Sic ait Columella:

*Verum vbi iam puro discrimine pestita tellus*

*Deposito squallore nitens sua semina poscit.*

Sic infra: *Ferrog<sub>3</sub> bidenti*



*Pestat, & argentem sulcis exterminet herbam.*  
Inde quoque illud Comici: *Ita depeyum dabo, & Pesti pugnis* apud Plautum. quod Terentius, *Ornare ex suis virtutibus* appellat. Et *Pexa toga* apud Martialem est. Pergimus ad reliquias:

*Florida* (inquit) *cum soboles materno pullulat alvo*

*Primitiis plantæ modicos tum præbeat imbres*  
*Sedulius irrorans olitor.*

Hoc loco sinistri Grammatici reposuerunt, *Materno pullulat arvo.* Quasi verò id velit Columella, ac non potius vetustescat hoc loco. nam fanè *Alvus*, commune genus habuit apud antiquos, teste Sospatro, qui hoc Cinnæ adducit: *At scelus incesto Cinnæ crescebat in alvo.* quare nihil mutandum, nisi ineptire occipias. Ait porro:

*Cappadocamq. premit ferali mense Lupercus.*

Sic Festus, *Propages* vult esse *Propagines à propagando*, quod faciunt rustici, quum vitem vetulam supprimunt, vt ex ea vnâ plures faciant. quanquã in hoc Festi loco infulsè ad marginem *Progenies*, additum est. Ceterum prò *Ferali mense*, forte *Februari* scribendum. nam *Februario mense* Lupercalia erant Iunonis.

*Hic Pagellarum aliquot defectus erat in*  
*Chirographo.*

Pergit Columella, & nos cum illo:

*Nomine tum Graio, ceu litera proxima prima,*  
*Pangitur in cera docti mucrone magistri,*

*Sic & humo pingui ferrata cuspidis ictu*  
*Deprimitur folio viridis. pede candida, beta.*

Ecce vt hîc *Litera pangitur*, sic etiam apud Tibullum reponi debet quod aliquando fuit:

*Indicet vt nomen litera pacta meum. non Facta,*  
quod nuper accessit mala fide & re aliorum. Nec enim quia *Literam facere* dicimus, ideo hîc in Tibullo quoque inculcandum illud fuit. maiori enim vehementia opus est & vi, quæ in *Pangendi* verbo non tam latet, quàm exprimitur in illa Tibulli sententia. De Proserpinæ raptu, vbi Nymphas Sicanias alloquitur, sic eadem pagina,

*Et qua Sicanij flores legistis Halesti,*

*Cum Cereris proles vestris intenta chorais*

*Aequoris Aetnaei vernantia lilia carpsit.*

Reponendum videtur mihi *Ennai*. nam *Enna* vocatur hic locus ab Arnobio & omnibus qui de hoc raptu meminerunt, nisi, quia in Sicilia factus est, inde fecit sibi Poëta quod non suspicor. Idem *Flammeolam Caltham* vocat, quam Virgilius *Luteolam*, quod idem est. idque tum eius, tum Festi auctoritate probare est, atque hoc ex *Ciri* versu:

*Vt tibi Corycio glomerarem flammea luto.*

Quod ipsum & alijs puto verbis in Bucolicis sic reddidit Poëta: *Croceo mutabit vellera luto.* quod *κροκωκυμα* Græcorum sapit, vt aliquando vir doctissimus Hadrianus Iunius ad me scripsit. Sed & *Flammeum noua nuptæ*, lutei coloris erat, vnde & *Flammearij, infectores flammei coloris apud Festum.*

Quod verò ait: *Et celebres fortis, Fortuna dicite laudes,*

*Mercibus exactis, bilaresq; recurrite in hortos,*  
*Fortis*, interpretor *Bona*. sic enim veteres, & Festus ipse: *Fortis, frugi & bonus, siue validus*. Vt autem *Fortis*, prò *Bono*, & *Bonus* prò *Forti*, sic *Bona* etiam *Forma*, & *Bona* prò *Formosa*, & *Formosus* prò *Bona*: quod Lucillius videri vult, quum ait:

*Omnes formosi fortes. ergò improbus esto.*

Sic *Fortis*, prò *Formosa* est apud Plautum credo in *Bacchid*. quo loco ità colloquuntur amatores duo de amicarum forma:

*Satin fortis tibi visa est?* respondet alter:

*Ni nactus Venerem essem, hanc Iunonem dicerem.*

*Merces* verò *exactas*, quæ sequuntur, ipse Columella infra, *adultas* interpretatur. nisi *exactis*, malis legere, quod idem est. & apud Apuleium *Exactus*, est *Exoletus*, qui nimirum crescere desijt. Addit paulò post:

*Nec solum teneras audent erodere frondes*

*Implicitus concha limax, hirsutaq; campe.*

Hic ego *Campe hirsutam* esse puto, qui & aliàs *Inuoluulus* dicitur. quod ipsa Græcorum origo in voce *Campe* non refugit, & Columella de eadem infra sic:

*Voluitur ad terram distorto corpore campe.*

Nimirum ex vineis, vel alijs fruticibus incidit in flores, vel ad illos, vbi decedit, repit. Perducam verò opusculum hoc ad finem suum. Sic ait Columella:

*Sape ferus duros iaculatur Iuppiter imbres  
 Grandine dilapidans hominũque boũmque  
 labores.*

Mirum sane, nã hinc *Dilapidatio bonorum* originem trahit. nescio enim aliam illi commodiorem exculpere. Videntur enim, *Dilapidare sua bona*, dici; qui vt infesti & irati suis facultatibus, & messibus, vnde diuitiæ natæ, in eas quasi grandines iaculari, & sua sibi disperdere properant. Reddet nunc Columella rationem, qua à diris animalibus depastio aduulorum seminum prohibeatur. inter plurima verò quæ recentet remedia locum facit *Marrhubio*, & *Sedo* quoque, quod pro *Sesuuio* accipi vult Festus, sicuti scribit. Prius tamen Columellæ verba ponam:

*Profuit & plantis latices infundere amarus*

*Marrhubij, multoq; sedi contingere succo.*

Sic igitur Festus de *Sedo*: *Sedum, alij Sadum*, appellant herbam, quam *Opillius Aurelius Sesuuium* vocari ait, eamq; in tegulis feri, nec quamobrem id fiat, indicat. Columella quoque de eodem sic libro II. *Quædam etiam subterranea pestes adultas segetes radicibus subsectis enecant. Id ne fiat, remedio est aqua mistus succus herba, quam rustici Sedum appellant: nam hoc medicamine vna nocte semina macerata iaciuntur.* Sed & Plinius *Sedi* meminit libro XI, quum ait:

*Quin & armo talpa contacta semina vberiora esse. Democritus succo herba, quæ appellatur Anzoon, in tegulis nascens tabulisue, Latine verò Sedum, aut Digitellum, medicata feri iubet omnia semina.*

Prosequitur materiam Hortorum Columella, & nos illum. In numeratione herbarum, quæ in horto proueniunt, etiam de *Trichilis* meminuit. Sic verò ait:

*Tum modò dependens trichili, modò more chelidri  
Sole sub aestiuo gelidas per graminis umbras  
Intortus cucumis, pragnansq; cucurbita serpit.*

*Anguineum cucumerem* intelligit, malè verò ad marginem adCUSUM est, Cilyndri. Commodùm hîc mihi venit in mentem, quum hæc scriberem, de Carmine quodam Virgilij Elegiaco, quod Copam inscripsit Mecænati dedicatum: vbi ait:

*Quid iuuat aestiuo defessum puluere obesse,  
Quàm potius bibulo decubuisse thoro?*

*Sunt cupa, calices, cyathi, rosa, tibia, chorda,*

*Et trichila umbriferis frigida arundinibus.*

Vult certè Virgilius dicere idem quod Columella suis verbis, de Pergulis compluuiatis, & umbris illis viridantibus loquens, quæ solem defendant rigiditate fruticum, quibus intreguntur naturaliter, non ex composito. Columella *Cucumeres & cucurbitas* superimpendere facit, Virgilius *Trichila*. Illo tamen in loco Virgilij hoc primum obseruandum, *Quàm potius*, prò *Potissimum* poni & accipi debere, vt & illud Tibulli, quanquam aliter & impressum sit, & intelligatur:

*Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?*

*Quàm ferus, & verè ferreus ille fuit!*

Sed illud, vt nunc est, non facit palato meo, legem-

legendum enim *semper* putauit: *Qui fuit*, &c. tametsi apud antiquos, *Quis*, & *Qui*, eadem significatione polleant, etiam *Quiqui*, apud Plautum. sic ergò possum memet mihi excusare, vt alijs calumniandi materia per me nulla relinquatur, priusquam displicuisse me mihi sensero. *Quàm ferus* autem prò insigniter fero & inhumano accipiendum in Tibullo, id quod in Plauto quoque & Lucretio, imò antiquis omnibus est frequentissimum. Atque etiam huius loco est, *Quamuis*, apud Catullum & Ciceronem ipsum in Laelio, quum ait:

*Quamuis enim multis nominibus est hoc vitium  
notandum leuium hominum atque fallacium, ad voluptatem loquentium omnia, nihil ad veritatem.*

Quanquam hîc quoque, *voluntatem*, reponere magis placet. Hoc idem per, *Licet*, efferebant antiqui. Apuleius libro 1. *Metamorphoseon*: *Hæc itenditem mecum replicabam, & noxibat in diem. Optimum itaque factu visum est, anteluculo furtim euadere, & viam licet trepido vestigio capeffere.* Nec enim intelligit moram interponendam homicidio in socium commisso, non quidem à se, sed à Meroë hospita, & Panthia in conspectu suo, & eodem in lecto accubante. Illud verò superius Tibulli sic defendo & explico ex eodem Auctore, qui alio in libro sic Elegiam incipit:

*Qui primum caram iuueni, carumq; puella  
Eripuit iuuenem, ferreus ille fuit.*

*Durus & ille fuit, tantum qui ferre dolorem,  
Viuere & erepta coniuge qui potuit.*

Hoc verò existimandum est in Tibullo, quod dicam; illum scilicet sibi per omnia quàm simillimum esse & geminum. quod aliàs pluribus probabo. Tandem nunc tandem ad fines Horti & limites peruenimus. vtinam verò aliquod <sup>sub</sup>tile corollarium, non futile carpsimus. Hoc nos alijs diiudicandum relinquimus. nec enim in sua causa iudex capitur, & Legibus id sancitum omnibus, quibus est equius seruire homines, quàm Leges ipsi.

## CAPVT XX.

*Amphitruonis Prologus cum cura discussus  
& fide.*

**M**Iror tot iam annis legi Plautum, & legi quidem à doctissimis, (sic enim ingenij eius doctrina & vetustas requirit) nullum tamen ex ijs ipso in limine Amphitruonis restitisse, quasi parum auspiciatò ingressum, quum tot monstra sint obscœna, quæ omen infelix ituro faciant; quasiq̃ue de via properantem reprehendant. Quid enim? an Mercurius <sup>πολυζήμενος</sup> satis sapit in ijs libris, quos vt emendatissimos nobis dedit Germania? an potius desipimus ipsi, qui illis hoc priuilegij ponimus, vt neglectis aliorum Editionibus, his quasi vnicijs vti fruiq̃ue perpetuemus? Quid Camerarius noster omninò præstiterit, non facilè dicam; nam

nam illius Chirographa cuius fidei & vetustatis fuerint, sanè nescio. interim si quid pudent tamen ingeniosis coniectionibus effici à nobis potest; id omne proponetur studiosis, imò Camerario ipsi (si modò ad hæcce iuuenilia animum per ætatem demittere iam potest) & erit credo aliquid (nisi meipsum ludo) quod & illi suauiter aurem premat, & nobiscum vnà complacere possit. Prologi priora membra sic distinguere debent, si intelligi ea à se velit quisquam, vt iam subscribam:

*Vt vos in vobris voltis mercimonijs  
Emundis vendundisq̃, me latum lucris  
Afficere, atque adiuuare in rebus omnibus;  
Et vt res rationesq̃, vestrorum omnium  
Bene expedire voltis peregriq̃, & domi;  
Bonoq̃, atque amplo auctare perpetuo bono  
Quasq̃, incœpistis res quasq̃, inceptabitis:  
Et vti bonis vos vobrosq̃, omnis nuntijs  
Afficere voltis; ea asseram, ea vti nuntiem  
Quæ maximè in rem vestram communem sient:  
(Nam vos quidem id iam scitis concessum &  
datum*

*Mi esse ab Dīs alijs, nuntijs præsim & lucro)  
Hæc vt me voltis approbare, annitier  
Lucrum vt perenne vobis semper suppetat;  
Ità huic facietis Fabula silentium,  
Itaq̃, equi & iusti hīc eritis omnes arbitri.*

Ista hæc vera est œconomia vetustatis Plautinæ, quam nullus modò leuiter benigneq̃ue literis tinctus sibi obscuram aut grauem poterit fateri.

fateri. verùm, vt alij ediderunt, planè credo dubitare possent quàm plurimi, quid Mercurius vellet sibi, cuius sententiam tribus verbis ita explices licet: Quemadmodum à me exposcitis, vt in mercibus vestris vltro citroque accipiundis & dandis vobis lucrum felix semper fiat; vtque me vultis de rebus promercalibus, tum ad Rempub. pertinentibus bona nuntia afferre; ita & vos huic facite Fabulæ silentium. Res omnis & aperta est, & antiqua simplicitate. Sic & Plautus Afinariam auspicatur, sed breuiori omnino ambage:

*Sicut tuum vis vnicum gnatum tue  
Superesse vita sospitem & superstitem,  
Ita te obrestor per senectutem tuam,  
Perq; illam quam tu metuis vxorem tuam;  
Si quid med' erga tu hodie falsum dixeris,  
Vt tibi superstes vxor etatem fiet;  
Atque illa vna viuis vt partem oppetas.*

Sequitur statim ab initio:

*Iouis iussu venio; nomen Mercurij est mihi.  
Pater huc me misit ad vos oratum meus,  
Tametsi pro imperio, vobis quod dictum foret,  
Scibat facturos: quippe qui intellexerat  
Vereri vos se & metuere ita vt equum est Iouem.*

Extremum illud ineptum est & languidum, Iouem se dicere Iouem esse, & vereri à Romanis. imò ita Plautum scripsisse confidimus:

*Quippe qui intellexerat  
Vereri vos & metuere, ita vt equum est, Iouem.*

Et

Et mox: *Etenim ille, cuius iussu huc venio, Iuppiter*

*Non minus quàm quiuis vostrum, formidat malum,*

*Humana matre natus, humano patre,  
Mirari non est equum, sibi si pratimet.*

Sic legendum, non: *Cuius huc iussu venio, Iuppiter*

*Non minus, quàm vostrum quiuis, formidat malum.*

Vt supra: *Nunc cuius iussu venio, & quamobrem venerim.*

Post paulò hoc habes: *Nam iniusta à iustis impetrare non decet,*

*Iusta autem ab iniustis petere, insipientia est.*

In codice Chirographo, quem olim leuiter percurri, est sic:

*Nam iniusta ab iustis impetrari non decet,*

*Iusta abs iniustis petere autem, insipientia est.*

Quam ego credo Plauti omnino genuinam esse Phrasim. sic ille hoc in Prologo locutus est, quum ait Mercurius:

*Ego has habebò hic usque in petaso pinnulas,*

*Tam meo patri autem torulus inerit aureus.*

Iam cœptum insecutur iter, callemq; suëtum. Ait Plautus:

*Nunc iam huc animum omnes ea qua loquar aduortite.*

Rudis hæc est elocutio, & Plauto parum digna: quanquam videri possit quibusdam vetustescere aliquâ tenus. sed apage nobis has delicias ventustatis,

tustatis, si sunt huiusmodi. Namque illud; *Animum ea quæ loquar aduortite*, sordet sanè. nec enim sic disponunt veteres, quum resolui volunt constructionem suam, & accommodari prioribus. In olim-impresis & Manuscriptis est, Plautinè credo, & simpliciter hoc modo:

*Nunc iam huc animum ad ea quæ loquar aduortite.* Habes è vestigio:

*Nam quid ego memorem, ut alios in Tragædijs  
Vidi, Neptunum, virtutem, victoriam,  
Martem, Bellonam commemorare quæ bona  
Vobis fecissent, quis benefactis meus pater  
Deum regnator, Architectu' st omnibus.*

Miror, quid hîc elegantia captent Germani codices, qui in hac parte inuenisti omninò mihi videntur. Certè enim interrogatione includi omnia debent, & ita reponi:

*Nam quid ego memorem, vt alijs in Tragædijs  
Vidi, Neptunum, virtutem, victoriam,  
Martem, Bellonam commemorare quæ bona  
Vobis fecissent, quibus benefactis meus pater  
Deum regnator Architectus omnibus?*

In meis Chirographis est, *Architector*, sed mendosè, vt apparet doctis. nam *Architecton* legi debet. & hoc verbi non semel est apud Plautum. hocque etiam loco redintegretur licet. Sequitur à perpendiculo:

*Sed mos illi nunquam fuit patri meo.*

Suspectus est mihi & hic versiculus. Certè anxia illa metiendorum versuum Plauti industria, ipsi nimirum auctori perniciosissima fuit  
femi-

semper, dū alij ad eum versum, alij ad alium pro libidine traducunt Comicum, qui cū suis verbis & antiquis nondum constet, vel phrasibus pristinis, tamen ad mira trahitur versuum ludibria. Vellem equidem Plautum, & Terentium perpetuo caractere editos olim fuisse, vel sanè vt in libris Chirographis descripti erant; iam certè via mollis esset & prompta Carminum sobriè inquirendorum. Sed hæc quidem vota sunt. dico tamen versum illum Plauti vim passum ab aliquo. nam meus codex quamuis in charta descriptus ita habebat: *Sed mos nunquam fuit illi patri meo.* Atqui & illud dicam, ne sic quidem placere mihi, quicquid est *Illius patris*.

Nec enim ferunt aures meæ hanc demonstrationem ineptam. Itaque liceat nobis insanire nostro periculo & iure; non Plauti, non vetustatis. sed illi communes studiosorum Nemeses mereantur licet, qui mala fide vel Plautum, vel Lucretium, vel Virgiliū denique (nam & hic auctor male habitus est) tractant, mutant, rumpunt, corrumpunt; denique vt in peculio suo libidinem exercent. Vtinam verò plures Victorios, Langios, Fabricios, ac Muretos haberemus; qui id negotij conficerent in optimis auctoribus; quique aliorum temerarias Censuras, inò imposturas studiosis patefacerent. Quid enim istis in mutos hosce Magistros non liceat, qui Falsi legitime conuicti \* sexcentos studiosorum manipulos sese armaturos iactitant. quasi verò his rationibus istæ agenda censeant

\* al. miran-  
zur.

\*In D. L. M.  
expetit hæc  
indignatio.

docti, & non potius ijs telis reficienda sunt vuln-  
nera, quibus facta sunt. O malè, semel dicam,  
preceant illi qui bonos Auctores pessimis suis ra-  
tionibus perdunt; eos dico præferim, qui & cu-  
riose tractari, & diligenter haberi deberent, &  
quorum rara, aut nulla exemplaria existant chi-  
rographa. Sed hæc omninò sunt plura, quàm  
volui, & pauciora tamen, quàm debui. Redimus  
ad Plantum, in quo versiculum illum superiore  
sic libenter emendaremus:

*Sed ille mos nunquam fuit patri meo.*

Videant nunc elegantis literaturæ homines, quid  
Plauto dignum sit magis. nam certè vt dica-  
mus; *Mos mihi est*, sine aliqua voce demon-  
stratiua, adduci vt credam non possum sanè.  
Paruo interuallo hæc inuenias, quæ diuerfam  
lectionem & venustiore[m] requirunt.

*Quid igitur? quoniam hic seruos quoque partes  
habet,*

*Faciam hanc, proinde vt dixi, Tragicocomæ-  
diam.*

Elegantius procul dubio est in nostris, & olim  
impressis, qui habent:

*Quoniam hic seruos quoque partes habet,*

*Faciam sit, proinde vt dixi, Tragicocomædia.*

Certè enim dixerat supra:

*Faciam, commista sit Tragicocomædia.*

Sic legendum puto, & illud, *Vt*, quod in ple-  
risque, & Germanicis quoque Editionibus est,  
interpretis nasum sapere scio. Cur enim non  
& dixit?

*Faciam,*

VERISIMILIVM LIB. II. 115  
*Faciam, vt sit, proinde vt dixi, Tragicoco-  
mædia.*

Sed hæc quæ nobis adijcere placet, & deside-  
ramus, his omnibus Antiquitas pressa & elo-  
quens tamen aduti, vel abuti noluit sæpenume-  
rò. Ecce verò quod volo, & dico:

*Nunc hoc me orare à vobis iussit Iuppiter,*

*Vt conquisitores singuli in subsellia*

*Eant per totam caueam spectatoribus.*

Velim hinc Comici mensores hunc modulum  
versus vnus mihi describant, & dimetiantur.  
Sanè credo in ipso modulo modulum requi-  
rent, nec inuenient tamen. atque illud est quod  
dico, sæpe particulam illam inculcatam alienis  
locis, quæ si tollatur, puriorem rationem anti-  
quitatis dabit, & versum non peruerteret. Quare  
vident omnes legendum:

*Nunc hoc me orare à vobis iussit Iuppiter,*

*Conquisitores singuli in subsellia*

*Eant per totam caueam spectatoribus.*

Et *Conquisitores histrionibus*, simile est illi, quod  
mox sequitur, quanquam Græca esse locutio  
posset, pro *spectatorum*. adscribatur tamen &  
aliud remedij:


*Hoc quoque etiam mihi in mandatis dedit,*

*Conquisitores fierent Histrionibus.*

Sed & hic, *Vt conquisitores*, legebatur, malè.  
Prius verò Carmen aliquam pedum diminutionem  
patitur; si quid his desperatè morbo-  
sis remedij adhibendum est, hoc adhiberem sa-  
mandis:

H 2

Atque



*Atque hoc quoque etiam in mandatis mihi dedit.*  
Sic & supra elocutus fuerat:

*Atque ego quoque etiam qui Iouis sum filius.*  
Credo ego illud doctis & bonis placere posse; & Plautinæ simplicitati conuenire posse etiam credo. sed quid agimus exemplaribus chirographis destituti? multis credo surdis canimus, nos tamen interea delectamus beauli. Totum locum rescribam de nouo. nam & que sequuntur malè habent; & indicari possunt vulnèra, & remedia præsentanea.

*Atque hoc quoque etiam mi ille in mandatis dedit,*  
*Conquisitores fierent Histrionibus;*  
*Qui sibi mandassent, delegati vt plauderent,*  
*Quiæ quo placeret alter fecisset minus,*  
*Eius ornamentum & corium vti conciderent.*

Multa hîc quoque monstra sub personis latent, quæ vt splenio reducto mox in oculos incurrent omnium. Rideo mecum subinde, dum cogito istos versificatores nihil hîc offendisse, quod offenderet eos, cum tamen illud extremum grauius offendere debeat. Sed illi s. elidi putabant scio; sed profectò non ita stultè prodiga fuit Antiquitas, vt locis illis, vbi nihil opus est, hac necessitate ea vterentur, præsertim verò in Prologis, qui purissimi esse consueverunt, & propè dicam Trimetri meri & simplices. Sed potius est, ne lis lite resolua-ur, vt quomodò legendum esse totum locum putem cum Aurato meo, quæ omnibus Andabatis facile

*Qui sibi mandassent delegati vt plauderent,*  
*Qui quo placeret alter, fecissent minus,*  
*Eis ornamenta & corium vti conciderent.*

Nihil hîc est nostrum, nisi illud extremum, *Eis*. quod omninò nostrum esse non volumus: Plauti tamen vt sit, & volumus, & optamus. Secundus versus ita legitur in olim-impressis, vt descripsi, & multò ante conieceram sic legendum. & miror sanè, quid Ioachimo placuerit, eum mouere suo loco; vt scilicet seruiret illi sequenti sententiæ: *Eius ornamenta & corium vti conciderent*. Alij certè simplicius omninò & rectius, quamuis non cum sensu Plauti, retinuerunt, quod ad sententiam luculenter duceret eum, qui animum intenderet vel tantillum. Nec enim nouum est doctis, *Concidere alicui corium*, prò *Alicuius*, more Græcorum. Sæpe his, & talibus Plautus noster vtitur, ne longè abeamus. Adimus reliqua monstra, sed vereor ne Hydræ ritu in nos excrescant plura, quàm domare possimus. sed audendam est cupidè. Literata hæc sunt monstra. Ah, quid mihi volui, quid dixi?

*His monstris minor Herculis labos sit.* Subijcit Mercurius:

*Quid admirati estis? quasi verò nouum*

*Nunc proferatur, Iouem facere Histrioniam.*

Hîc denuò artifices versuum aliquam literulam subtrahent, vt dimetiantur legitimè, quod est in versu. Ego his figmentis nihil omninò



opus esse puto. Sic enim conijcere libet scripsisse Plautum: *Quasi verò nouum*

*Nunc proferam, Iouem facere Histrioniam:*

Ecce audax & horridum facinus meum. sed & illud addam, quoniam hoc Capite deliciari libet, & arguari licet. addam, inquam, mihi non placere illud:

*Quasi verò nouum Nunc proferam, &c.* & pro illo reponendum censere: *Quasi verò nouum*

*Hoc proferam, Iouem facere Histrioniam.*

Istud quidem vident omnes docti multis partibus esse venustius. & tamen vt alicui placeat, vel displiceat, susque deque habeo. Nihil hinc Plautum lædi volo. ad me redeant mea ludicra, Lector. Ità multa sunt in hoc Prologo, quæ me offendunt, vt patientia Lectoris mihi captanda sit, qui credo ex tam multis vel in veterum incidere possit. Ecce nunc duos tresue versiculos proferam, suspectos quidem mihi, sed de quibus tamen certum aliquid statuere non possum; præsertim verò manuscriptis libris destitutus. Et sanè deberent esse huiusmodi, si quid iuuare vellent, vt aliam lectionem à vulgatis nostratibus afferrent. Prior locus est:

*Etiam Histriones anno cum in profcenio hinc*

*Iouem inuocarunt, venit, auxilio eis fuit.*

In priori versu, *Anno cum in profcenio*, nihili est, & contemnendum. Latet tamen aliquid, quod difficulter eruas, & in lucem proferas. Aliquis, *Annuo in profcenio*, sibi legeret credo; alius verò,

Homo

*Homo cum in profcenio*, quod esset etiam. Hoc anno. Sed dicam quod sentio, ad *βιβλιοτάκους* pronocamus. Sequitur post deinde:

*Is priusquam hinc abiit ipsemet in exercitum,*

*Graudam Alcumenam vxorem fecit suam.*

Illud in principe versu perstringit aures, non terget meas: *Is ipsemet*. non tamen quòd offendar crebra compositione, idemque significante; quàm quòd eo loco est in Plauto, vbi cernitur. Sed totum sanè, ne argutemur, ineptum est, & puris auribus sordes parit. Secundus versus neque satis simplex videtur, neque ita à Plauto credo est scriptus. fortasse ita rectius:

*Graudam Alcumenam fecit vxorem suam.*

Vt infra: *Et graudam fecit is eam compressu suo.* Ecce verò aliquid inopinati, præterque spem tuam, Lector. Mercurius argumentum orditur Fabulæ, & statim subiicit:

*Nam ego vos nouisse credo iam vt sit pater meus,*

*Quam liber harum rerum multarum fiet;*

*Quantusq; amator fiet quod complacitum est  
semel.*

*Is amare occæpit Alcumenam clam virum,*

*Vsuramq; eius corporis cepit sibi*

*Et graudam fecit is eam compressu suo.*

Primum hoc ago, illud *Nam*, insolenter planè huc inferri, & versum ipsum non constare suis legibus, vt in Ioachimicis est libris. Nam quod supra est:

*(Nam vos quidem id iam scitis concessum & datum*

*Mi esse ab Dijs alijs nuntijs præsum & lucro).*  
 Aliam habet rationem, & bene interijcitur, & commodè parenthesi includitur. Hic verò alterum caput narrationis initium capit. Itaque leuissima mutatione, imò nulla, *Iam*, quòd superest in alijs Editionibus nimirum, iam ego mihi sumam, & ità constituam versum:

*Iamq̄, ego vos nosse credo vt sit pater meus.*  
 Secundus ille superior versus nihil magni secum affert: & vereor sanè, vt bene habeat. nec enim intelligo quid illa sibi velint:

*Quam liber harum rerum multarum fiet,*  
 Quin potius vt ego conieci olim, & probauit Auratus meus, reponimus? *Quam liberarum rerum multarum fiet.* At verò illud pænè omiseram in priore illo versu aliquid obscurum esse, quod ego studiosis patere per me cuperem. Namque illud, *Vt sit pater meus*, non habet vulgarem sensum, sed ad ingenium & mores lasciuos Iouis referri debet. Sic dicimus: *Vt homo est, ità morem geras.* Locutio in Plauto numero hæc est obuiam. Terrium nunc addam. supra dixerat Mercurius de Patris adulterio:

*Et gravidam fecit is eam compressu suo.*  
 Hic illud, *Fecit is*, non satis facit mihi, imò indignum est Plautina Venere. sic mecum iudicat Auratus meus. Ego reponerem ludi- bundus:

*Et gravidam fecit eam se compressu suo.*  
 Veli est maius audendum aliquid:  
*Eamq̄, gravidam fecit compressu suo.*

Per-

Pergimus: *Et meus pater nunc intus hic cum illa cubat.*

*Et hæc ob eam rem nox est facta longior,*  
*Dum ille quacum vult voluptatem capit.*  
 In Dauentriensi Editione legebatur:

*Meus est pater nunc intus, cum illa cubat.*  
 Dicam & hoc loco quod videtur animo meo. Prior versus non arridet œconomiã suã: & illud *Intus hic*, satis languidum est. Si liceret insanire, sed tamen licet, ità reponerem:

*Et nunc pater meus intus cum illa cubat.*  
 Credo ex illa nimia necessitate numerorum Grammaticorum irrepisse errorè istum. Quod autem sequitur:

*Dum ille quacum vult voluptatem capit.*  
 Equè displicet mihi, & satisfacit parum. Quin potius:

*Dum illà quacum vult voluptatem capit.*  
 Sic ego conieci antea legendum, idem pòst omnibus ijsdem literis reperi editum in Plautino quodam exemplari, quod ante annos sexaginta impressum Dauentriæ est. Nunc tandem collarium addam, & vnicum emendabo mendum, quod credo placebit doctis, vt aliquibus fortasse ad stomachum non faciat. id est huiusmodi:

*Nunc hodie Amphitruo veniet huc ab exercitu,*  
*Et Sosia seruos, cuius ego hanc fero imaginem.*  
*Nunc internoesse vt vos possitis facilius.*  
 Libenter in extremo versu legam:  
*Hunc internoesse vt vos possitis facilius.*

H 5

Nam

Nam procul dubio Amphitruonis Sosiam designat Mercurius. & sequentia quæ subscribam mecum faciunt credo:

*Hunc internosse vt vos positis facilius,  
Ego has habeo hic vsque in petaso pinnulas.  
Tum meo patri autem torulus inerit aureus  
Sub petaso, id signum Amphitruoni non erit.*

Ecce quod volo. Hæc nos multa quidem ex Plauto excudimus, sed vereor ne ad pauca redigantur olim vel meo, vel doctiorum iudicio, cuius me suffragijs stare sanè fateor: & cupio, ne quis ingeniosior in meo esse libello velit; & mihi relinquat si quid est quod calumniari velit. Ego enim his artibus & contra me vtor, & aliorum auxilio opus omninò nihil habeo. Si quid est quod coniecturæ tribui potest, id cupio à bonis & eruditis viris. reliquorum iudicium non curat Hippoclidès.

## CAPVT XXI.

*Fragmentum in M. Catonis librum de re Rustica.*

**R**ustarias faculas Victorius in Catone, numero vndecimo legit & restituit, pro *Rusticarijs*, quæ à rusticis & rudibus Socijs Latinorum inculcatæ fuerant. Certè Festus, *Rustum à rubis* ait fieri. & apud eundem *Suri sunt Rustes*, & *Varonopisicòs* Surculi. vbi ineptè ad marginem legitur *Sunt fustes*. Atque hoc illud est, quod

quod vult Cato, nescio tamè, an omninò conuenientius sit, *Faculas*, legere. Nec enim satis, *Facularum* istiusmodi antiquitatem sapio; & eius nouitatem, id est, emendationem ac mutationem quodammodo amplector. Quod verò dubitat capite XIII. Catonis, an *Corrigito*, ad Plinij regulam sit redigendum, qui *Porrigitò* habet, an Plinij ad Catonem, sanè quod dubitet nihil est. nam Cato seipsum interpretatur, cum ait: *Vii rectè spectent*. Itaque *Corrigere*, est *Rectum facere*. Sic & Plinius alibi de Milone: *Manum nemo illi corrigebat*, nimirum vult dicere, Milonem tanta vi fuisse, vt quum manum clausisset, nemo illi eam aperire posset. Hinc & *Rigores in agris*, & *Rigor iuris*, & *Rigidus Deus* in Priapeis. Quare in Plinio locum Catonis restimendam existimo. Cap. xxxvii. in Catone sic legi ait in libris suis Victorius:

*Ex segeti vellito ebulum, cicutam, & circum salicta herbam mactam vluamque.*

Apud Plinium verò, cum de eadem re scribit ex Catonis sententia, *Herbam auctam esse*. Victorius autem, *Altam*, retinuit ex vulgari lectione. Et tamen *Malta herba*, eadem cum Plinij, *Aucta*, potest esse. nec enim aliud significat antiquis, *Malta*. adeoque puto Plinium Catonis multa, vt sæpe quoque ostendit Victorius, suis quibusdam verbis referre, vt sæculo suo seruiat, & nimiam hanc vetustatem emolliat; quæ tamen à Catonis sensu semper faciunt, eandemque omninò significationem habeant.

beant. Sic apud Seruium est: *Maetus vino tau-  
rus, vel thure in sacris, nimirum cumulat & au-  
ctus, quoties aut vinum, aut thus super victimam fun-  
debatur.* Et illud vulgò iactatum: *Maete animo,*  
& *Maete virtute,* non quidem Aduerbialiter ac-  
cipiendum, vt vulgus Grammaticorum sentit,  
sed prò *Maeti* & *Maeta*. Sed apud Plautum  
quoque illud ex hoc est numero: *Maetari infor-  
tunio,* quod aliàs, *Aisgeri malo,* sic &, *Multare,*  
prò *Angere* & *voti compotem facere*, interpreta-  
tur Nonius. Itaque Herbas *Maetas* ex Cato-  
nis mei rure vellendas, vel eruncandas non  
existimo. Ad cætera gradum faciamus.

Cap. LXIX. Catonis in manuscriptis sem-  
per, vt etiam alio superiore loco, *Melipontus*  
ait esse *Victorius*. nimirum ea ratione accipi  
possunt hi, qua *Melica Gallina*, prò *Medicis* apud  
Festum, & *Dacryma* apud eundem, prò *Lacry-  
mis*. Quod verò nûc ponam, erit maioris opera,  
nisi fallor. Cap. CLVII. *Victorius* noster scribi  
faretur in libris suis locum vnum his verbis: *Et  
primum scito, de omnibus brassicis nulla est illiusmodi  
medicamento.* Loquitur autem Cato de *Tertia  
quadam Brassica, qua Lenis vocatur, minutis caulibus,  
tenera, & acerrima omnium istarum.* Ego hanc  
lectionem antiquam esse, & genuinam Catonis  
credo. & fecit ingenuè *Victorius*, vt est homo  
omniò bonus & popularis *Literarum* nostra-  
rum, quod hanc lectionem, etsi eam non pro-  
barer sibi, tamen ascripsit in *Commentarijs*  
suis. Vult enim Cato dicere, *Lenem hanc Bras-  
sicam*

*sicam maximo esse & singulari medicamento,* cum  
ait suis verbis & proprijs: *Nulla est illiusmodi  
medicamento.* quod nos simplicius  
*Reliqua desiderantur.*

## FRAGMENTVM CAPITIS XXII.

In M. Terentij Varronis Libros de re  
Rustica.

Deest principium.

**A**Tqui *Gesum* illud Festi, etiam *Gessum* di-  
ctum fuit. *eiðos æuorís* interpretatur So-  
sipater; & *Seruius Gesa hastas viriles accipit, atque  
apud Gallos, Gesos viros fortes appellari scribit.* Sed  
credo sanè homo hâc nobis antiquitatè periisse.

Ait Varro. cap. xxxv. libri I. *Violaria in fun-  
do facere non est vtile, idè quòd necesse est terra  
adruenda puluinos fieri, quos irrigationes, & pluuia  
tempestates abluunt, & agrum faciunt macriorem.*

Hanc Lectionem nos à *Victorij* *Commentarijs*  
mutuati sumus, quam ille tamen in *Varro-  
nis* contextum non contulit, nimis anxia sanè  
religione. nec enim durior, vel infestiuor est  
illâ, quæ legitur in libris vulgaribus huiusmo-  
di: *Idè quòd necesse est è terra ad ea obruenda  
puluinos fieri.* nam paria dicit quanquam im-  
paribus verbis *Varro*. nisi quis malit, quod ego  
nolo, sibi legere: *Terra aggruanda, à Grumis  
iam vulgatis.* Sed certè idem omnino filum  
orationis erit. quare nil muto. Illud porrò quod  
ait

ait Varro: *Pluuia tempestatem abluunt.* ego *Dissoluum* interpretor, subtilius fortasse, & tamen uerius, nisi fallor, à veteri *Luo*, quod est apud Festum.

Cap. xxxi. Victorius, quod ad Orthographiam pertinet, duo admonere se posse dicit, nimirum in eo Capite, & alibi: *Resicari & Sicari*: & *Subsicuerunt* eodem libro disertè legi; quæ tamen ille ut Varroni plura reddiderit uocabala, (& quidem omnia hæc doctè & liberaliter) quàm nunc vel in usu sint, vel intelligi possint à rudibus, illa tamen in eius contextum referenda non putauit. Quæ certè ego ab Antiquitate recepta & usitata non ignoro, quorum sexcenta reperias in Festo. Nam *Proficium* est apud illum, *quod profecatam proijcitur*. Ego existimarem, *Porrucitur*, & *Proficare*. quod de *Exiis* accipiendum, ut etiam quod præcessit. Huc quoque faciunt *Sicilices Ennij*, *prò Hastarum spiculis latis*. Sic *Ennius apud Festum: Incedit ueles vulgò sicilibus latis*. In quo versu illud animaduertendum, an rectè *Sicilibus* sit in Carmine, *prò Sicilibus*. alioqui *Siciles* reponi deberent. quod non existimo. nam uetustissimi, *Sicidi* in præterito, & *Sicidi* dicebant, unde apud Gellium, *secederat*, & *Sicilices* \* à quo *Sicilire prata*, id est, *Falcibus* conlectari, ut Varro interpretatur.

Fragmen-

FRAGMENTVM EPISTOLÆ  
AD DIONYSIVM LAMBINVM MISSÆ;  
in quo Catulli, ac Tibulli loca aliquamulta vel  
corrigitur, vel explicantur.

*Initium deest.*

**D**Octrina tua, quæ mihi semper uisa est summa, mores suauissimi, affabilitas non affectata te mihi tam carum faciunt; Vir Clarissime; denique illud studium, quod in Lucretij restitutione præstitisti, & etiam nunc præstas. quod ut accuratè matures, etiam atq. etiam rogo. Interim uide, mi Lábine, ne nimis matures. quæ res & tibi, & Lucretio ipsi damnosa esset. Cupio vehementer, ut liceat mihi unam rem à te petere, & etiam auferre; nimirum ut quæ uultu codicis sit lectio semper admoneas in Commentarijs tuis, siue ea sit sana, siue infana, (ut Plauti uerbo utar) siue etiam obscura & incognita. Sic fiet, ut de fide tua nulli non sis gratus futurus: tum occasionem dabis studiosis, ut ex corrupta illa lectione tua integram & sinceram conentur educere. quod, uirominò Maximus, Victorius sua fide facit, idque rectissimè. Hac non eò scribo, uir doctissime, quòd putem tibi non eadem venire in mentem, aut iam esse: sed, quia famæ tuæ non aliter, quàm meæ fauco; & partim quia de quo, qui tibi nec malè uolebat, maximè sinistrè es suspicatus, nunc de illius in te obseruantia & sollicitudine reddaris certissimus.

Et

Et hæc ad Protasin Fabulæ, nunc ad Epitafin veniamus. Soleo, mi Lambiæ, nō vt quidam Epistolas nullius rei, sed tamen verbosas scribunt, scribere; sed appingere literis meis aliquid ingeniosæ commentationis. Itaque & nunc, quia tibi id gratum fore scio, & quia iudicio magnorum virorum libentissimè vtor, vt audacius ista ab ijs comprobata vulgo proponam; proponam & ego tibi quædam hoc tempore, quo à vobis absui, ex multis paucula effecta. Ac primum à Poëtis quibus, vt debeo, eximiè delector, sed à præcipuis exordiar. Itaque Catullus opera Mureti nostri melior factus, & tamen non ita factus, vt non etiam optimus aliquandò fieri possit, videtur mihi studio meo iuari posse, aut etiam adiutus esse. primum in Carmine quod est ad Nepotem ait porrò:

*Quare habe tibi quicquid est libelli,*

*Qualecunque quidem \* \* \**

*Plus vno maneat perenne seculo.*

In Catullo meo ad marginem est aliàs: *Patrona virgo.* quod ego bene excussim & euentilatum in tale triticum eduxi, vt posthac non solum Puteolanis granarijs, sed omninò omnibus condi & depromi ad omnium vtilitatem posse confidam. Et tu, mi Lambiæ, de nostro tritico vtere, ego legendum puto:

*Qualecunque quidem per ora vulgi*

*Plus vno maneat perenne seculo.*

Sic loquitur infra in Rauidum:

*Anne vt peruenias in ora vulgi, &c.*

Infra

Infra ad seipsum: *Fulsere quondã candidi tibi soles,*  
*Cum venit abas, quò puella ducebat,*  
*Amata nobis quantum amabitur nulla.*

Legendum credo: *Amata vobis, quantum amabitur nulla.* Sic Ovidius de Iafone in Medæ Epistola:

*Tibiãq; effudit socialia carmina vobis,*

*At mihi funesta stebilior a tuba.*

Nec id quidem insolens tibi visum iri suspicor, cum te sciam plurimum studij & diligentia in antiquis & bonis auctoribus semper posuisse. Idem in Aurelium:

*Pedicare cupis meos amores:*

*Nec clam; nam simul & iocaris vnã.*

Hoc lōco scribendum existimo: *Nam simul es, iocaris vnã.* Elegantissimo loquendi modo, & etiã vsitato ab eodem ad Caluim: *Vt tecum loquerer, simulq; vt essem.* Vides, mi Lambiæ, quam plena omnia, quam composita futura, si legatur, vt ego cupio & volo. Iam tibi adscribam locum eiusdem facilitatis, sed fortasse non satisfaciam ijs, qui malunt omnia corruptissima relinquere, & tibi ignota facere, quam aliquando conari, etiam maxima ratione vel apicem demere, vel adijcere. Horum ego religiosum iudicium pessimè odi. Sed ad rem, ad Varum de Suffeno:

*Tantum abhorret, ac nutat.* Hæc omnia, si leuiter aspicias, præclara; si propius spectes, languida; & rei non magnæ videbuntur. Quid enim aliud, *Abhorre*, quam *Nutare*? Ego sanè incuriam omnem à maximo Poeta procul fuisse credo, putoque scripsisse illum ita vt subscribam:

I

Tan-

*Tantum abhorret, ac mutat.* Natus mihi error videtur à librariis infelicissimè doctis, qui vocis insolentia offensi eam loco suo mouerunt, & quod ipsi intelligebant, supposuerunt. Gellius libro I IX. ex Varronis libris de Lingua Latina hæc citat: *In priore verbo prosodia qua fuerunt remanent, reliqua mutant.* Idem I I. Rei Rusticæ: *Sus ad foeturam qua sit fecunda animaduertunt ferè ex primo partu, quod non multum in reliquis mutat.* Sed quid ego hæc tibi tam approbo, cum tu hæc omnia melius noris, quam nomen tuum? Idem de morte Fratris elegantissimo carmine ait:

*Alloquar, audierone vnquam tua verba loquētem*  
Nescio, an hic reponere possim: *Tria verba loquētem?* sed tamè possum, quia ad te scribo, qui omnia hæc eo interpretaberis animo, quo ego Horatium contrà te \* \* si aliquid æqui & boni in locutione illa. quod tamen nequeo perspicere satis, sed fortasse aliquando multa lectione consequar. Tu, si quid me iuuare potes, ne desis. certè magna sollicitudine liberaris. Non possum tibi exprimere, quàm vehementer optarim omnes bonos Auctores doctorum hominum labore saniores effici; vel certè mihi aliquando Thefaurū aliquem veterum librorum obuenire. non Aulā Euclionis reperissè me malle. Sed certè nugor. nam Plautus Euclionem Aulam suam exarapagasse scribit, & sibi asseruasse. Sed nimirū & nostra ætās Eucliones Veterū non desiderat. Verū extrà iocum. Nunc ad Tibullū venio, cuius ipso initio offensus sum. *Quid enim? an coharēt ista*

*Et quodcunque mihi pomum nouus educat annus,*

*Libanum agricola ponitur ante Deo.*

*Flaua Ceres tibi sit nostro de rure corona  
Spicea, qua templi pendeat ante fores.*

*Pomosisq; ruber custos ponatur in hortis,  
Terreat vt saua falce Priapus aues.*

Vide, quod facinus faciam. ex f. f. facio: è p. d. inuersum scilicet, hoc modo:

*Flaua Ceres tibi sit nostro de rure corona  
Spicea, qua templi pendeat ante fores:*

*Pomosisq; ruber custos donatur in hortis, &c.*

Statim sequitur:

*Iam modò non possum contentus viuere paruo,*

*Nec semper longa deditus esse via;*

*Sed canis æstiuos ortus vitare sub ymbra*

*Arboris, ad riuos prætereuntis aquæ.*

*Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem,*

*Aut stimulo tardos increpuisse boues, &c.*

Robertellus magnum videtur in Tibullo opere Consulendus Robertellus. pretium fecisse, cum docet illum obscurissimè expreuisse clarissimi Græcorum vocabulum *μωροειχ*, vt sit: *Iam non possum non contentus viuere paruo.* quod ipsum ex superioribus nec satis commode consequi videtur. Ego puto Tibullum dicere: *Quum fortunas suas Fortuna alijs tradiderit, aut \* \* \*, non licere sibi otiosè viuere, & delitiani; vel remotas terras visere, aut bellum sequi; sed tamen licere sibi in paruulo rure suo honestè agere, & somnum captare sub arboribus suis.* id enim suadere illi rei familiaris inopiam. *Contentū paruo* accipio, pressum egestate. Ait verò: *Non*

*possum viuere contentus paruo; sed possum vitare aſti-  
uos ortus ſub ymbra arboris mea. &c.* ne videatur in-  
honestè otari, ſubiicit:

*Nec tamen interdum pudeat tenuiſſe bidentem,*

*Aut ſtimulo tardos increpuiſſe boues, &c.*

Sed quia de Robertello incidit ſermo, videtur mihi vir ille febriculosa eruditionis ostentator insignis; & nullum ferre, ne se ipsum quidem, cum tanto abdomine distentus sit, ut intelligam nunquam supinum cubare, sed in sigmate affidere

\* \* \* Ille namque Tibulli locum quendam, quem non intelligit sanum esse, insanissimè, non deprauat, sed leuissimè tollit. Ait verò sibi codicem vetustum esse, in quo scriptum sit:

*Neu quisquam multo percussum tempora Baccho*

*Excitet, infelix dum requiescit amans.*

Vt Tibullus *δινοπλήγας* Græcorum expresserit. Sed non obseruat ille, cum hæc scriberet, Tibullum ita quoque Elegia vij. loqui:

-- -- *Geniumq̄, chorais*

*Concelebra, & multo tempora funde mero.*

Ecce eadem sunt verba. Certè illud subtilitatis suæ prudentius Ouidio elargitus fuisset, qui dicit in amoribus:

-- *Et multo tempora quassa mero.*

L V-

LVCÆ  
FRVTERII  
BRVGENSIS  
CARMINVM  
RELIQVIÆ.

I 3 HA-



## HADRIANI IVNII AD

LVCAM FRVTERIVM, IN

*Pontani nomen, quo is se Brugis  
natum significare vole-  
bat, Allusio.*


**P**ONTANI Manes in te transisse putarim,  
Vox nisi Natalem proderet ista locum.  
Tam doctè astrictos pangis, numerosq. solutos,  
Ille in te vt Samia lege renatus eat.  
Thesauro ex Orci reducem gratemur vt im-  
bram  
Illius, an quisquam, tu nisi, præstet idem?

LV.

## LVCIVS FRVTERIVS

BRVGENSIS AD IA-

NVM DOVSAM.



**D**OVSI, sacrarum gloria Virginū,  
Dousi, vetusta nobilis ab domo,  
Qui patrios census auita  
Ingenij bonitate transis:  
Quid esse caussa suspicer, aut rei,  
Quodd me sub ipsis auspicijs tua

Nuper voluntatis, me aq,  
Tam facili exciperes fauore?  
An esse quicquam credulus ingenij,  
Frontisq. doctæ credideras mihi,  
Cum Ponticos inter cachinnos  
Nil tibi vendiderim Catonis?  
Hac hac sub ipsos Aethiopes eant,  
Insana mentis iudicia ebria;  
Nilq. à tuo expecta Frutëro  
Præter amicum animi fauorem.  
Tu verò, qui me vix bene cognitur,  
Tàm mente amasti mi bene cognita,  
Vt perpeti vincla obligatum  
Sic age sub tua iura amicum.

Ad eundem.

Scilicet tantis tuus indigebat  
Plausibus Lucas, cui rusticane  
Dousium Musa facili alligarunt  
Nuper amore?

Scilicet lassis Elegia membris,  
Sapphica ducente chorum puella,  
Debuit notos reuocare docti  
Pectoris ignes?

Et tamen iustos animi calores,  
Doctissosq; astus meritis adornans  
Laudibus, lingua inuideo atque rerum  
Copiam amico.

Macte Nympharum sapientum amator,  
Qui, per agratis Heliconis aruis,  
Vertice intactam quatiente myrtum  
Iure Poëta es.

Scande per Famæ titulos, & olim  
Debitos sacro capiti triumphos  
Occupa, & nunquam peritura chartis  
Nomina trade.

Sic meo nullus tibi amore amor sit  
Gratior Docti, nec amore vestro  
Carior nobis alius: perire  
Sic iuuat olim.

Ad eundem.

Ecquid inest magica nostris in versibus artis?  
Ecquid in obsequium Saga maligna meum est?  
Quòd tibi carminibus nostris medicina parari  
Creditur, & morbis antidotum esse tuis.  
Differam, si quod magica sit in arte laboris,  
Sic Genij positum, iudicijve mihi.  
Tu tamen affectos lassati corporis artus  
Me tibi vis Lyricis restituisse meis.

Hoc

Hoc tibi si credam Docti, non saxa, nec amnes  
Credam olim Orphis obstupuisse modis.  
Vive, vale, & nullo moriturum tempore nomen  
Transmitte in Fama posthuma Regna tua.

Ad eundem Dialogismus.

FRVTERIVS.

Donec carus ero tibi,  
Nec quisquam Genij munera Docti  
Maiori obsequio colet,  
Vivam Casarea sorte beator.

DOVSA.

Donec Fruterius mihi  
Det notas animi delicias sui,  
Me non alterius trahet  
Ignotusq; nouusq; in sua iura amor.

FRVTERIVS.

Me multorum animi fauor  
Astrictum vigili presidio tenet,  
Prò queis vltima perpeti  
Sit desiderij certa fides mei.

DOVSA.

Et me multus amor sibi  
Addictum valida compede detinet,  
Pro quo bis peream libens  
Aeternisq; animam deuoueam ignibus.

FRVTERIVS.

Quid si nil animo tui  
Dulce est Fruterij, prater amabilem  
Docti capitis fidem,  
Mentisq; ingenijq; ingenuas opes?

I 5

DOVSA.

Quaquam multus amor mihi  
 Instat, perfidia nescius improba,  
 Tecum dulce tamen mori,  
 Tecum viuere sit, candide Fruteri.

## Adeundem Elegia.

**P**ertulit ad vestrum, Doñsi, mala fama Fruterum  
 Te petere Heçtoria Francica regna plaga.  
 Et potuit tanti mentem non discere amici  
 LVCIVS, ingenij cura laborq, tui?  
 LVCIVS extremos tecum ire paratus ad Indos,  
 Tertiaz, obscuri regna videre Dei?  
 LVCIVS officio tibi coniunctissimus omni,  
 Et pratextato cultus amore tibi?  
 Scilicet ingenij pudibundum sidus honesti  
 Umbra verecundam Fruteriana facit.  
 Quicquid id est, seu te mentis petulantia nostra,  
 Siue (quod est durum) me mala fata premunt:  
 Nescio quò taciti tanta obseruatio voti,  
 An ne times sacri prodigia vlla tui,  
 Ne bene conceptum vitient mala lumina votum,  
 Imidag, innocuum lingua moeatur opus?  
 Non (ita, Doñsa, tibi placeam) cui dedita seruit  
 Mens mea, culpa tui consilij vlla mea est.  
 Nam nec ego antiqui nodos effringere amoris,  
 Nec didici in notum perfidus esse caput.  
 Adde, quòd hoc tali potius quam carperer igni,  
 Malim aded insanis ludibrium esse fretis.  
 Res alia est, alium que te mihi reddit, at hæc res  
 Que nihili est, magnum dat mihi parua malum.

Dat graue caussa malum, dulce qua tollit amicum:  
 Dat graue & illa bonum, qua cito reddit eum.  
 Ride ridiculos Pontani, Doñsa, Leones:  
 Et mecum inceptam perge tenere viam.  
 Ibis in expertum mea per vestigia callem,  
 Ibit & in sulcos pes meus vsque tuos.  
 Sic bene concordia properantes iramite fratres  
 Sistet in optatis mutua cura locis.  
 Sed tamen ut ceptum fusos voluamus in orbem,  
 Accipe qua nostro fabula nata solo est.  
 Mercurius, docta cui magna industria mentis,  
 Multus & in culto pectore viuut honos:  
 Nuper (& hoc mecum docta meminere Sorores)  
 Est equidem nostro visus adesse thoro:  
 Atque ita: Ne dubita, Vates carissime, dixit,  
 (Hæc ea diuini consilia oris erant)  
 Ille nouenarum felix tutela Dearum,  
 Cuius amant Musa nomina docta tue,  
 Me tibi Castalij Legatum misit ab oris,  
 Et dedit hæc animi conscia verba sui.  
 Curre sub oppositas Inuenis dulcissime terras,  
 Mœniag, optato scande Duaca loco.  
 Hic vbi leniuus puro fluit agmine Scarpa,  
 Aruaq, securis Gallica pulsat aquis.  
 Illic sunt animi bona præstantissima nostri,  
 Hac hæc Fruterici sunt & in vrbe Lares.  
 Inuenies illum dulci modulaminis arte  
 Cogere in astrictos libera verba pedes.  
 Aut si forte domi (quod saepe) negabitur, illum  
 Inuenies teretem fundere in astra globum:

Reticuloq; leui, tensis ex ordine chordis,  
 Fune tenuis iactas sollicitare pilas,  
 Quacunque arte suis tandem dabit otia Musis,  
 Ne dubita hac illi verba diserta loqui:  
 Ille tuus nulli Pylades cessurus Oresti  
 Dosisius, Hectorei pergit in arua soli.  
 Et potis es notas animo aequo linquere Musas,  
 Et potes à focij corpore abesse tui?  
 Cuius inaudito mentem deperditus æstro  
 Ludis in alternis stultulus officijs?  
 Quin age rumpe moras, laticesq; exquire latentes,  
 E quibus hic pigra stat lacus altus aqua.  
 Non etenim non esse potest res maxima, cuius  
 Nomine celarit consilia ista tibi.  
 Hic ego, qui sacras Diuorum temnere voces  
 Esse puto infausæ conditionis opus.  
 Quiq; aded plurius facio visi omnia Phœbi,  
 Quàm vana obscuri phasmata Neumisy:  
 Hac tibi, quæ certam faciunt mihi carmina mentem,  
 Ingenio mitto munera grata iuo.  
 Quæ, rogo, consuetis animi complectere votis,  
 Et responsura percute fila Lyra.

## VIRO MAXIMO D. GEORGIO

BVCCHANANO.

Quid nisi crudeli flagraret Scorïa motu,  
 Angliaq; hostili sumeret arma manu;  
 Diuideretq; sui furiales coniugis iras  
 Nereine terris, Nereine pelago;

Ille,

Ille, Buchananii felix cognomine, vates,  
 Se eriperet nostris perpetuum ex oculis?  
 Ille, cui gemina diues facundia lingua  
 Ponit honoratis amula ferta comis,  
 Quemq; adeo Musa (sic sint mea gloria Musa)  
 Et docuere sacros & didicere modos.  
 Sic aded magnum est, Musas habuisse magistras:  
 Qui didicit docuit, qui docuit didicit.  
 Dicite Pierides Latia, vos dicite Graia,  
 Quale bonum terris attulit è patrijs?  
 Sic ego: sic coarctà nata Phœbeides orsa  
 (Sit mihi cœlestum carmine fata sequi)  
 Venit, Iō, tempus (Graia hac audite Carœne)  
 Quo stet iners vestris gloria Homeridibus.  
 Venit, Iō, tempus (Latij hac audite Poeta)  
 Quo minor è vestro carmine surgat honos.  
 Ille sacer Vates, nostrarum Buccina laudam,  
 Venit ab extremis in sua regna locis:  
 Doctaq; viuaci permittet carmina fama,  
 Carmina cum lingua, tum sale Pierio,  
 Vatis Iessæi sacras referentia curas,  
 Pdsst Eratûs lusus, Vranienq; suam.  
 O tantum liceat, Musæ, mihi ferre Poetam,  
 Tunc ego sim famâ maior Homere tuâ.  
 Dicam ego, quod de se iactare modestia nescit:  
 Nil mihi cum Musis magne Poeta tuis.  
 Dicam animum facilem sacrissq; caloribus aptum,  
 Et prisca imbutum religione caput.  
 Hei quantum de se licet insanire Poetis!  
 Hoc, precor, indulge laudibus omne tuis.

Vt-

I42 LVCAE FRUTERII BRVG.  
Vtq; nihil vestra condonent carmina fame,  
Carmina sub titulis vitam habitura tuis;  
At mihi sunt animi faciles & amoribus apti:  
Nec minor in nostro spirat amore fides.  
Vive, vale: & faciles Elegos ne despice Vates.  
Alcinoo & multos poma dedisse puta.

AD CL. V. GERMANVM VA.  
LENTEM GVELLIVM PIMPON-  
TIVM, cum legendos illi mitteret Ve-  
risimilium libros.

**P**erlege, nec dubita subitas euoluere mugas,  
O decus, o sacri gloria rara tui.  
Forfitan & magno Calicem sic mittere Caro  
Ausus eras Latij prime Poeta chori.  
Atque erit hic aliquid, si nos bene nonimus ipsi,  
Quod tibi subtile asserat auriculas.  
Atque erit hic aliquid, quod te mihi reddat amicum:  
Tu modo ne dubita perlegere ista mea.  
Si quid & offendet, scribe offendisse fateri,  
Acribus in limis stat mihi stricta manus.  
Plura quidem potui, sed nolim plura potesse,  
Ne quid in his mugis ponderis esse putes.

IOSEPHO SCALIGERO  
IVL. CAESARIS F.

**N**onime te, Iosephe, tuo doctissime novi,  
Et noti patrio nomine Scaligerum.  
Scaligerum novi, nulli virtute secundum,  
Teq; scio Patri consp ostum Andabatam .

Me

CARMINVM RELIQUIAE. I43

Me tamen (ignoscas fasso) nec stemmata ducunt  
Verone antiquis orta sub imperijs:  
Doctus at ille animi candor, moresq; benigni,  
Et genius Patrij nobilis ingenij  
Meq; tibi iungent & te mihi: sic tua nobis  
ICADIVM est certis pollicita ominibus:  
Hocq; mihi dixit, Si te vel nomine nosset  
Scaliger, ille nouem gloria Pieridum,  
Quod facis, ille tuo faceret sub nomine doctos  
Tanta iuvat gemini cognitio ingenij.  
Accipe quae lusi iuuenis doctissime, sic &  
Serua nostra olim scilicet accipies.

In Triftium libros Ouidij.

**H**aec ea Barbaricis posito sub partibus orbis  
Carmina, vasticiem non male docta loci,  
Dura quidem, & duris Naso tibi condita rebus,  
Pressa quoque a gemini sunt grauitate mali.  
Et tamen auctoris nomen referentia & artem  
Nescio quid grata serietatis habent.

ADRIANO BURCHIO.  
Amicorum eius Albo inscriptum.

**I**ngratum, gratamq; mihi proponis amorem.  
Qua fieri hoc Burchi conditione potest?  
Gratus amoris amor, gratus quoque Burchius; ille  
Ingratus mihi amor, quem tibi charta facis.  
Non id amicitia Pylades orauit Orestem,  
Ne dubiam facerent ille, vel ille fidem.  
Tu facis hoc, Burchi, dubio non motus amore,  
Sed quia mos fieri pro ratione iubet.

Atque

Atqui ego move vtor, gratoq; in amore relinquo

Me tibi, tu \* inscripto me fac amore colas.

\* In priuatiua  
particula vms  
obinet hoc lo-  
co. pro Non  
scripto.

Lamberto Burchio.

**S**ilicet in scriptis amor incorruptus amicis  
Delitet, atq. animi est chirographū ipsa manu.

Tu tamen hoc, Burchi, dici cupis atque videri;

Depugnasq; istis rebus inesse fidem.

Atqui ego non pugno tibi: tu qui vincere nossi

Fruterios, vinci turpe in amore puta.

Gulielmo Dominikel.

**Q**vale nouem sacris Parnasi in vertice Musis  
Cynthius argutis temperat articulis:

Quale Cupidine cantabat Naso Corinna,

Furtiui referens gaudia coniugij:

Tale tuum nobis carmen Dominicule, talis

Venit ab articulis charta notata tuis.

O bene, quod doctis captus bona pectora Musis,

Illarum penitis dona tenes animis:

Secretumq; suis cohibes penetrabilibus ignem,

Pontifici scapulas nunc & Amata negat.

Vestalem illa tuis reparabit ab ignibus ignem,

Cum deerunt sacro viua elementa foco.

Nos colimus vanum linguaq; & pectore amorem,

Votaque nostra vago diuidimus populo.

Parcite, sacrarum qui multi in amore sororum

Sapies optatas curritis ad Dominis.

Nos illa proprijs & sape à montibus arcent,

Ac prohibent sacris nos Heliconis aquis:

Seq; negant vano faciem committere amanti;

Qui sua dona omni vendit, emitq; foro.

Tu bene, qui fallis, nec fallis teq; tuosq;.

Ipsè ego si fallam, meq; meosq; iuuem.

Vive, vale, Gulielme, sacri pars optima cœtus:

Vive, vale; & quod agis, fac bene semper agas.

IOANNI ILINGIO.

**I**lingi, si quicquam à te pote suauius esse,

Hoc erit & suauis suauis magis Venere.

Sed Veneris Venere vt nihil est pote suauius esse,

Sic Veneri, & nobis alter Adonis eris.

At Veneri, & nobis semper victure, nefandi

Dente fero non es occubiturus apri.

Tanta tui à Venere & nobis cura ibit, vt illum

Hanc semel, heu, noxam sit nocuisse satis.

Excole formosas, Musasq; & Cyprida, Nymphas;

Cura laborq; hominum, cura laborq; Deum.

Cura tamen tibi sis vni, vt sis pluribus, omnīs

Quæ venit ex sese, cura probanda venit.

Ipsè ego si possum quicquam: volo posse videri.

Vtq; nihil possum, sic voluisse velim.

Tu potes, vtq; potes in amora hominesq; deosq;.

Non fieri id verbis, rebus, ilinge, potest.

Ergo age, res ipsas Musarum dilige: stabunt

A votis faciles Musa, Venusq; tuis.

Sic tibi, sic alijs pulchræ Virtutis amore

Gratus eris: gratus sis tibi, sisq; alijs.

FRANCISCO DILPHO,

Albo eiusdem Amicorum inscriptum.

**S**i quisquam cupida discessu moriet amica,

Cuius amore olim vixit, & interijt:

Ille quidem insidiam rectè Cythereida nouit,  
 Et bene de domine sentit amore sua.  
 Nos alijs doctum coniuñcti rebus amorem  
 Scimus in alternis viuere pectoribus.  
 Tu si quid dubitas de me, hunc tibi deme furorem.  
 Nil opus est verbis, est vbi rebus opus.  
 Attamen & verbis, rebusq; ago, Dilphe, quod optas:  
 Tu fac, vt à rebus littera nil faciat.

## Quintinae Dixmudis Epitaphium.

DVLCIS CONIVX, DVLCES NATI,  
 DVLCIS PATRIA SALVEAT.

Vixi, quod potui, vobisq; mihiq; superstes.  
 Mente fui casta, quod iuuat ossa mea.  
 Lactari, peperiq; & mansi fida marito,  
 Seruauiq; meam laniiosa domum.  
 Quintina dicta fui, Quintinam habuere parentes;  
 Edita quinta fui, Quintina dicta fui.  
 Si pia, si locuples Parcarum stamina sistant,  
 Vinerem; at, heu, nulli sunt bona tanta bono.  
 Ergo vale coniux, natiq; valete paterni:  
 Hospitium vobis ipsa parare abij.  
 Vos ubi lethali suscepta lampade cernet  
 Elysiū, optatis accipiam hospitij.  
 Vosq; frui nobis coniux natiq; iuuabit;  
 Meq; frui vobis. ite, valete, abeo.

SALVETE CONIVX, ET NATI SVPERSTITES,  
 MORTALITATIS SEMPER MEMORES.

Sibran-

## Sibrando Occoni.

Ipsa quidem virtus merces sibi, solaq; longis  
 Censibus annorum non peritura perit.  
 Nec peritura vllis omnes perit illa diebus.  
 Tam nihil à fortis mobilitate capit.  
 Hæc ea me vestros, Sibrande, perire labores:  
 Hæc etiam ignotum fecit amare caput.  
 Me nisi de vestra certum virtute Secundi  
 Fecisset doctis Calliopea notis;  
 Qui tibi constanti iam pridem cognitus vsu  
 Impleuit grata munus amicitia:  
 Tot poteram populis, tot ciuibus ire sequester,  
 Inq; tuam vera rumpere laude domum:  
 Scilicet à magno venit vltima Vate senectus,  
 Vt tibi stent viridi fata suprema die.  
 Viue tuo felix, felix Sibrande Secundo.  
 Vera adeo à tumulto fama venire solet.  
 Nec tamen ô propera, viuo tibi fama parata est:  
 Nilq; tibi à vestra crescere morte potest.  
 Crescere morte potes, ni sis tibi patruus, atquæ  
 Vt tibi sis patruus, crescere morte potes.  
 Musa quidem Iani tantum valet vna Secundi,  
 Cuius in aterna luce vigebit honos,  
 Vt tibi grata magis tanti pia Musa Poete  
 Atque animi: atque oculis debeat esse tuis.  
 Nostra quidem affectu non cedit Musa Secundo,  
 Attamen effectu cedit vtrinq; sibi.  
 Viue, vale, nostrisq; in carmine quære pudorem;  
 Imen: oq; minus plaudere mihi, atque tibi.

K 2

In

In Martialis editionem Perna ab Hadriano Iunio commissam. Lufus.

**I**lle tuus Vates, auricrea Bilbilis, ille  
Cui stat cum magnis MARTIA LIS viij;  
Ante annos potuit sex vna in lustra venire,  
Doctorumq; hominum mentibus esse labor:  
Traditus est illi, cui talipedare lucrosam,  
De superno Talipedator erit.  
Supernatus erat, Perna quia creditus, idem  
Talipedat, pigro quod pede Callipedat.  
Perna, faue studijs, felix & nomine & arte:  
Atque idem infelix nomine & arte faue:  
Felix, cui Perna pernas non succidit; idem  
Infelix, soli quod tibi Perna sapit:  
Mitte precor nobis Typicas pulchro ordine chartas,  
Si tibi opus Pernis est, bone Perna, tuus.

## IN CHÆRILLVM.

**A**THENEOS scripsi: rescripsit iratus  
Ignobilisq; nobilisq; Cherillus,  
Parum videri scriptitasse me Græcè:  
ATHENEOS penultima esse producta.  
Promptè quidem ille; ceterum aio, Romanè,  
Scripsisse me, non Græculè meos versus.  
Et hic videndum, quia argumenta firmarint  
Sententiamq; mentulamq; Charilli.  
Ille ille, ATHENEOS, duo ETHA iurabat  
In sese habere: quod mihi quidem sanctè  
Tum deieranti perlubenter adieci.

*Sed hoc ineptum frivolumq; commentum est.*  
Nam nos de ATHENIENSIBVS peractamus,  
Hic hic de Athenis: & tamen DIONAEAM  
MATREM vocamus: at CATVLLVS è contra  
DIONEVM dixit COLUMBVLVM rectè:  
ATHENEOSq; nos vt arbitror, rectè.  
*Sed & breuem Diphthongon efficit Graius  
sequente vocali. Quid, ô, quid expectas?  
Vt pramium ponam hinc tibi triumphato?  
Pono lubens, nouem decemq; descendis  
Annis Pelasgum literis, vt existas  
Breuis Pelasgus, longulus nimis Græcus.*

Nobili & docto viro Dn.  
THOMAE DELBENI,  
alieno nomine inscriptum.

**Q**uantum Delbenij Virtus me nobilis ardet,  
Delbenio tantum grata sit Aonia.  
Ille meis (vos hæc totum mihi ferte per orbem  
Pierides) studijs otia dia facit.  
Qualia Macenas Romano fecit Homero,  
Qualia Coruinus culte Tibulle tibi.  
Nobilis est Virtus; & tu, DELBENA propago,  
Clara per innumeros stemmata ducis auos.  
Nobilis est virtus proprios celebrare Triumphos,  
Virtutemq; atavi nolle putare suam.  
Hæc ea qui præstas, & præstas DELBENE cuncta,  
Res mira est, Musis ni tua cura placet.  
Mira imago at res est, medioc; incognita Iano,  
ALPHIVS vsuram si capit are pari.



Vna sed vsura est omni mage commoda sorte:

Musa tibi gaude; laus tua vincit opes.

Felix, qui ingratus hoc vitat more Chiragras;

Cuique graui facilis regnat in ere manus.

Hæc ea qui præstas, & præstas DELBENE cuncta,

Dic mihi quid meream, si tibi non meream?

Hoc meream, vt qui me fecisti, DELBENE, imper

Bellerophonta equitem, nunc facias peditem.

Sis: ea quæ facio, facio tibi DELBENE grata,

Fac equitis meream præmia, fac peditis.

## IN SOPHILLVM.

**P**hilosophum nobis omni in sermone Sophillus

Sese ait, & Physicæ res bene nosse rei.

Sed nihil, vt nobis illud persuadeat, adfert,

Quàm Logicos nexu deficiente logos:

Atque Argumentum A MAIORI scilicet vnum

AD MINVS, & vacuas à ratione strophas:

Maceriâsque leui cemento & puluere structas,

(Parce RVBE) heu, volui dicere MATERIAS.

Si tandem in manus libuit descendere, præsto

Sunt ibi, CELARENT, BARBARA cum DARIO.

Quantâque sint verbis & qualia pondera narrat.

Cumq; ita bacchatus est mihi, verba dedit.

Nolo tibi Diras, ô magne Sophille, precari:

Sis mihi Philasophus, sis tibi Philosophus.

Ad Adrianum Iunium in calce epistolæ ad  
eundem missæ.

**S**ic te Nestoreos comitetur vita sub annos,  
Maior & à satis flet tibi fama tuis;

O Iuni,

O Iuni, æterni felix successor Erasmi,

Si successorem dam tua fata tibi.

In quosdam auditores.

Adeste crebri, adeste, adeste, qui vultis

Tam pulpamenti cognitores, quàm pultis.

In Flaccum.

**F**iliolam vxorẽ Flaccus vocat: hæc puto caussa est;

Filia patriisat, filiolutq; pater.

Vnus vterque, & auarus vterque, malignus vterque,

Atque aded inuidia pressus vterque sua.

O Genium Flacci vrbantum, cui succuba nata est,

Vxorq; ex vno filiaq; apta thoro.

Dii facite, his spurj's Sporus adnascatur, vt olim

Nil pariant simili conditione sibi.

In Ludium.

**L**vdus Ausoniis dabat omen triste theatris,

Si quo falletur, constiteratq; modo.

Hoc bene perdoctus noster quoque Ludius, omni

Cauit ope, vt nunquam pes sibi staret iners.

Sed modò sub leuam, in dextram modò torus abibat:

Ne bene constaret vel sibi, vel populo.

O dignum genio, dignum grauiore theatro,

Staret vbi stabilis, diceret aut melius.

Ad Ianum Doufam, Albo Amicorum  
inscriptum.

**D**espit, in scriptis animum qui querit amicis,

Ast animum ex anima qui trahit, ille sapit.

Ille sapit, proprio qui pectore gestat amicum,

Nec foris inquirit, Doufa, quod intus habet.

Adeundem.

**T**erminus est rebus, nec terminus omnibus. arctam  
 Pessima non possit mors violare fidem;  
 Non animi doctas irrumperere terminus arces,  
 Firmaq; amicitia soluere vincla queat.  
 Quare non si agili buxo, fluxæve papyro  
 Inscribenda fides, aut amor vnanimis:  
 Namque amor vnanimis si animos vna esse fatetur  
 Noster amor, Doñs, vestro animo vnus erit.  
 Nec teneris illum chartis, aut marmore duro  
 Vnquam adedò includet mens mea, siue tua.  
 Mutua sed parili concordia corde sedebit,  
 Vnumq; è gemino pectore pectus erit.

AD D. IOANNEM CASTELIUM.

**V**nica Castellium sacris dat littera Musis,  
 Cui genus & nomen Castalis vnda dedit.  
 Vnica Castalio Pontanum littera iungat:  
 Cedat vt occultum nomen in augurium.

NICOCHLO, GRVMAEO, CRVCIO,  
 FLAVIO, HELICONIO S. P.

**D**escribi cupis insolente versu,  
 Describi cupis indecente versu?  
 Scribaris tibi. Nam quid est necesse  
 Grumæos, Cruciosq;, Flaviosq;  
 Vno in corpore carpere insolenter,  
 Vno in corpore carpere indecenter?  
 Quid necesse quod esse, vel deesse  
 In nostro pote Flavio est, id esse,  
 Non deesse fateri, & impudica

Vani Carminis approbatione,  
 Aspirare malis bonisq; ventis  
 Ad fama leuidensioris arcem?  
 O mentem, an magè mentulam Grumæi!  
 Et mentem malè mentientem Amici.  
 Si bene hunc deceat Ramaon esse,  
 Ramaon malè nec decebit esse,  
 Rama Matris adhuc inesse dignum,  
 Rama matris adhuc inesse dignum?  
 Nam quid Balbulus, Albulus quid iste,  
 Quod nunquam benè cogitavi, id à me  
 Addictum sibi profitetur esse?  
 Fratris scilicet ad sui vocatum  
 Nuptias Fruterum, sed esse multa  
 Qua iurum remorentur, vnicum illud  
 Ad causam facere vnicè, quod vnquam  
 Nupturum minus esse Fratrem haberet.  
 O nunquam geniti ingeni facetum,  
 Aut prauè geniti ingeni calorem?  
 Qui Fratris potui mei vocare  
 Nuptias, vocitare nec sororis,  
 Qui Frater mihi nondum erat, futurus  
 Effectis modò nuptijs sororis.  
 Verùm quod malè scis, vt illud à me  
 Scias optimè, habe sciasque, quod te  
 Cum primùm accipiet thoro iugali  
 Stultum Laodamia Concubium,  
 Vocabo Pathicum nouumque nuptum,  
 Verborum Latiorum atrox nouator.  
 Vt tamen tibi non ità insolenter  
 Insultem, vocitèmq; vanum, & omni

*Mendacem exagitem foro, & theatris;  
 Florales age sentiamus actus,  
 Clodiumque suis relinque sacris,  
 Liber alibus insolens Pathisci.  
 In Symplegmata quinque copulatos  
 Dissolue, atque iterum oblige solutos.  
 Sic nubens Pathicosque Spintriasq;  
 Nuberis Pathicisq;, Spintrijsg;:  
 Et ritè has mihi nuptias vocabis.  
 Si fratri hæ quoque nuptia placent,  
 Te nolente, volente, nuberillet.*

Aliud in eundem.

**O** Barbatule Barbarille, felix  
 Dodones genus, ò Sophista ouista!  
 Ignosces mihi, si quid à Latini  
 Sermonis vagus alucis, Pelasgas  
 Affundam Latij's aquas fluentis.  
 Nimirum faciam, quod insolentes  
 Dudum poscimus impotente voto.  
 Ego Barbara, quantum erit necesse,  
 Allinam rudibus subinde chartis;  
 Ne tibi lubeat meas meorum  
 Merdas Barbaricas Pelasgolorum  
 Latina grauius ficare lingua,  
 Atque ostendere, quàm boni palati,  
 Quamq;, odoris acuti es. ò, quid aio?  
 Noster Barbarus ex Athencorum  
 Gustauit quoque fonte Barbarorum.  
 Hoc ipsum bene: sic & ille nosset,  
 An loquar sibi Barbarè, an Latine.

*Sed nimirum erit impeditum, & acri  
 pensandum studio Problema vtroque.  
 Latini vocitant id omne mundi  
 Barbarum, quod eorum abest ab orbe:  
 Et Græci vocitant id omne contra  
 Barbarum, quod abest ab ore eorum.  
 Sic, quacunque tibi insonem loquela,  
 Nil agam temerè. hanc enim esse, dices  
 Barbaram scio, Barde Barbarille;  
 Si non, quod Latij's eat fluentis,  
 Si non, quod Danais eat fluentis;  
 Hoc saltem, quod acerbius fecabit,  
 Hoc saltem, quod acerbius notabit.  
 Vnum me facis esse Flandriarum  
 Barbarissima Barbarissimorum  
 Qui norim omnia, Flauios, Grumæos,  
 Crucios, Heliconios, Nicochlos.  
 Mi sane græue id est, nimisq;, gratum.  
 Nam si omnes ego nosco Barbarissimos,  
 Nimirum scio & omnium loquelas.  
 Nam si quæ mala sunt, ab optimarum  
 Segregem cumulo locutionum,  
 Nimirum egregiè pereruditum,  
 Et dicis bene Barbarum Fruterum.  
 Quod Græcis male Barbarum esse visum est.  
 Barbaris bene GRÆCVM ID esse visum est.  
 Sic placent sua cuique: sic Poëtis  
 Ferplacent sua carmina, & Grumæo  
 Placent omnia, carmine atque profræ  
 Quæcunque euomit locutione.  
 Nec curat quibus auditibus repletè*

Targescant Epigrammatōn libelli:  
 Quos tanto studio efficit facitq;  
 Vi mendacia nulla, non amicos  
 Excludat lepidis suis libellis.  
 O mentem ingeniosulam Grumæ:  
 O quàm te fieri Grumæ vellem  
 Amicum magis, aut minus disertum!

Vale & salue, si potes.

EIVSDEM FRVTERII VER-  
 SIONES ALIQVOT EX VII.

Αυδολογίας libro.

MELEAGRI.

**M**E malè perdat Amor, n̄ cantibus Heliadora  
 Posthabeam dulces Latoidæ citharas.

INCERTI.

Ignè, geluq; in me nequicquam & fulmine scuid,  
 Et frustra in scopulos, ac maria alta rapis.  
 Cum desiderijs victumq;, & amore perustum,  
 Non Iouis irati flamma domare queat.

MELEAGRI.

Zenophila forma est ab Amore, at Philtra marito  
 A Venere, à Diuis gratia rara tribus.

AGATHIAE.

Cum citharam, mea lux, plectro percurris eburno  
 Terpichoræ citharis amula plectra facis.

Cum-

Cumq; ea se Tragicæ permittit in orgia Mæsa,  
 Melpomena Tragicos assequitur numeros.  
 Denique vel Veneri cedat Venus aurea nostra,  
 Iudicèq; euictas det Paride illa manus.  
 Tu tamen his Ariadna mane contenta, veremur  
 Bacchi iterum rapidas in tua colla manus.

PAVLI SILENTIARII.

Et mea Tantaleos vincunt incommoda castus,  
 Et minor illius pœna dolore meo est.  
 Religio nec enim te illi aspectare fuisse,  
 Oscula vel labris figere pauca tuis.  
 Ille quidem capiti timet impendentia supra  
 Saxa, at obire iterum, si velit, haud potis est.  
 Ast ego tabifico mentem deperditus œstro  
 Languo, & ex omni mors mihi parte venit.

EIVSDEM.

Tu licet vltèrius Merden vestigia ducas,  
 Me celer huc penna præpete velleet Amor.  
 Et licet occasus nitidum te ponat in ortum  
 Tantum iter inuictis exsequeretur pedibus.  
 Hoc leue Nympha tamen pelagi ne despice murus,  
 Quod prognata mari dat Venus ipsa tibi.  
 Illa quidem dulci vestra sub imagine victa  
 Imperium formæ dat tibi Dori suæ.

MACEDONII.

Ore sedent Charites, resident in fronte corollæ,  
 Cypride stant oculi, stant citharæq; manus.  
 Sic oculos oculis, auditu auresq; fatigas,  
 Et iuuenes omni callida parte trahis.

EIVS-

## EIVSDEM.

*Parmenis haud factio est: nemō mihi dulce putabam,  
Sed grauior fato Parmenis ipsa mihi est.*

*Namque ab amante fugit, sequiturq; ea me male  
amantem,*

*Vi bene amaturum carpat & effugiat.*

## ERATOSTHENIS.

*Mas alijs sit Amor. didici placuisse puellis,  
Quæ bene sub canas stant in honore comas.*

*Mas inhonestus amor. illos ego sperno capillos;  
Qui cito proueniunt, & cito deficiunt.*

## PHILODEMONIS.

*Sexaginta explet Charite pulcherrima messes,  
Surgit & in cinnos crinis, vt ante, saos.*

*Nec rugat cutis, ambrosios sed spirat odores,  
Eq; labris stillant innumera Charites.*

## EIVSDEM.

*Sellatus Venerem es diues Sosicrate, pauper  
Deseris. ô quantum resq;, fameq;, potest?*

*Illa cui vnguentum fueras, cui suauis Adonis  
Zenophile, quo nunc nomine sis, rogitat.*

*Qui sis? vnde domo? si quid de Cypride, sermo  
Hic ei, habe facilem me tibi, si quid habes.*

## EIVSDEM.

*Dilexi Paphiam Damen. quid mirum in amore hoc?  
Et Samiam Damen diligo: & hoc nihil est.*

*Rursus amo ex Asia Damen: puerilla non sunt  
Hæc ioca. iam Dame quarta mihi Argolica est.*

*Hinc aded fato Philodamus nominor, hinc est  
Quod Dame fuerit semper amata mihi.*

## MELEAGRI.

*seuus amor, seuus: quid id est, si terq;, quaterq;  
Ingeminem seuus, seuus & asper amor?*

*Hos ille illudit, multoq;, nocentius angit.*

*Ad probra si assurgam, nil ago: & his alitur.*

*Hoc tamen admiror, cum sis de gurgite pomii*

*Edita, flamma tibi, dic Venus, vnde Amor est.*

## EIVSDEM.

*Quod si forma perit, dato quod perit: hæc eadem si  
Permanet, hoc ipsum quod manet ergo dato.*

## EIVSDEM.

*Vtere qua totas vrbes Stenelai solebas,*

*Dimitijsq; auidos exonerare viros:*

*Nudam adeo nuper mihi te nox attulit, inq;*

*Auroram grata compede iunxit Hymen.*

*Quid mihi nunc tecum est ô barbaræ: non ego supplex*

*Plus tibi, dum hæc redeant somnia sape mihi.*

## ASCLEPIADAE.

*In foribus dominae affixæ remanete corollæ,*

*Nec temerè afflatis ite leues folijs.*

*Viq; ego vos lachrymis perfudi (qui imber amantum  
est)*

*Sic vbi reclusis prodierit foribus,*

*In lauos dominae hanc imbrem diffundite crines,*

*Vnder vt infusus, quas damus, à lachrymis.*

## RVFINI.

*Fulbra Venus formam, Pitho os, corpusq;, decorum*

*Dant tibi verne Hora, Calliope eloquium.*

*Compositam mentem Themis, articulosq;, Minerva:*

*Addita & es Diuis gratia quarta tribus.*

## EIVSDEM.

Floribus implexam mitto tibi Nympha corollam,  
 Composui manibus quam Rodoclea meis.  
 Liliaq<sup>3</sup>, & rosei calices, anemonaq<sup>3</sup> florent,  
 Narcissusq<sup>3</sup> piger, carulea & viola.  
 His tibi frontem ornans, elata frontis honores  
 Sperne: viretq<sup>3</sup>, peritq<sup>3</sup>, hæc rosa, tuq<sup>3</sup>, simul.

## EIVSDEM.

Vri se negat ipsa Melissias, vritur, huius  
 Hoc facies pharetis pluribus ieta docet.  
 Hoc gradus inconstans, nec certus anhelitus oris,  
 Atque abstrusa cavus lumina sub cilijs.  
 Vos tamen hanc cupidi formosæ Cypridis ignes  
 Vrite, vt hoc tandem dicat, amo, vror, amo.

## EIVSDEM.

Non amor est, si quis visa bona lumina Nympha  
 Appetit, atque ipsi querit amorem oculis.  
 Sed quicumque malam forma atque ætate puellam  
 Deperit, iniuisis conficiturq<sup>3</sup>, modis.  
 Hic amor est, ignisq<sup>3</sup>: etenim bona forma per æquè  
 Decipit inspidos, decipit & sapidos.

## EIVSDEM.

Lumina stant Melite Iunonia, dextra Minerve,  
 Mammicula Veneris, sura maris domina.  
 Felix hanc spectat, felicior audit, amatq<sup>3</sup>  
 Semideus, deus est hanc qui habet, & fruatur.

## EIVSDEM.

Quod si amor æqua aquis figis præcordia telis,  
 Es deus: in partem si iacis, haud deus es.

EIVS-

## EIVSDEM.

Nunc vbi Praxitele es, Polyclai & dextera felix,  
 Dextra potens visis signa animare modis.  
 Quis crines Melite bene olentes pinxerit? ecquis  
 Flammeolos oculos, collaq<sup>3</sup>, lacteolar  
 Huc pictor, sculptorq<sup>3</sup>, operas conferte, decebat  
 Hanc faciem magnis inseruisse Deis.

## EIVSDEM.

Nos ire in senium dixit tibi lux mea: dixi:  
 Iamq<sup>3</sup>, tuas mutat, cana senecta comas.  
 Et rugæ subeunt frontem, corporaq<sup>3</sup>, resoluunt,  
 Non eadem est labris Suada medulla tuis.  
 Nemo adit, & precibus duram vel munere palpat,  
 Teq<sup>3</sup>, adeo ut mutum prætereunt tumultum.

## DIONYSII SOPHISTAE.

O vinam in ventum mater, tuq<sup>3</sup>, ardua in auras  
 Pectore nuda meas excipias animas.  
 Aut rosa sim, quod me manibus releuansq<sup>3</sup>, terensq<sup>3</sup>  
 Associes muceis, lux mea, pectoribus.  
 Denique vel totum commutem in lilia vultum,  
 Corpore quo saturem lumina nostra tuo.

## INCERTI.

Nunc saluere iubes, tua cum te forma reliquit,  
 Marmoreum Lygdi quæ superabat ebur.  
 Nunc quoque me alludis, cum tecto crine vagaris,  
 Errabat collo qui vagus ante tuo.  
 Parce igitur posthac mihi adesse, aut obuius ire,  
 Nam mutare rosas, inuide, nolo rubis.

## INCERTI.

Salve virgo. Et tu. Quæ quæ aduenit? Ecquid id ad te?  
 Non temerè id quero. Sum famula huius ego.

L

An spe-

162 LVCÆ FRVTERII BRVG.  
*An sperare licet? Quid tandem? Noctem. at habes  
quid?  
Argentum. Gaude. quantulum habes? nequeo.*

EX LIBRO PRIMO  
ANTHOLOGIAE.

*Quatuor exercet certamina sacra Pelasgus,  
Quorum hominum duo sunt, caelicolumq; duo.  
Nempe Iouis, Phœbiq; Palamonis, Archemorig;  
Merces poma illis, pinus, oliua, apium.*

EX LIBRO SECVNDO  
ANTHOLOGIAE.

*Soluens membra Venus, soluens & membra Lyæus,  
Membra resoluentem progenerant podagram.*

EX LIBRO TERTIO.

*Moribus exsuperans, & mentis acumine cunctos,  
Hoc iacet in tumulo diuus Aristoclees.  
Si cui inexhaustam tribuit Sapia laudem  
Haic tribuit summa libero ab inuidia.*

AGATHIAE SCHOLASTICI.

*Latius, Paulusq; ambo per nobile fratrum,  
Quos tulit equali partus & hora die.  
Aequa quoque à Parcis sortiti licia, & aquos  
Bosphorum iuxta litus habent cineres.  
Vtq; aquam duxere aquo sub stamine vitam,  
Sic adiere aquis Persephonen pedibus.*

Saluete

CARMINVM RELIQVIAE. 163  
*Saluete ô dulces, genus insociabile, fratres,  
Araq; concordis vos decoret Genij.*

EIVSDEM.

*Vnus habet geminos fratres lapis, vnaq; vt illis  
Nascendi hora fuit, sic fuit interitus.*

LEONIDAE.

*Que, cuiusq; vxor Pario hoc sub marmore dormis?  
Phryxo, Callitelis filia. at vnde? Samo.  
Quis fecit tibi iusta: Theocritus, ante parentes  
Cui me crediderant. Qui morere? è puero.  
Anni quot tibi erant: duo vigintiq;. Sed absque  
Prole? erras: nam ex me trimula Callitele est.  
At tu longinquos vita decurre per annos,  
Hospes, & optatis perfruere vsque bonis.*

MNESALII.

*Suauius haud posthac penna crepit ante loqueris  
Pinguibus infidens vsque cicada locis:  
Nec me sub patula captantem somnia fronde  
Pennarum arguto decipies strepitu.*

SAPPHVS.

*Offa quidem & mutum Sapphus habet vrnula nomē,  
Illius at vnaq; carmina nomen habent.*

EX LIBRO QVARTO  
ANTHOLOGIAE.  
SIMONIDAE.

*Quanam ista? Bacchis, quisnam eam sculpsit? Scopas.  
Quis efferauit, Bacchus, an Scopas? Scopas.*

L 2

PHI-

## PHILIPPI.

*Quis Cyprî te in visum facilem, thalamiq; potentem  
Mellit, anque Deam bellorum insigniit armis?  
Olim, Diua, tibi Paean, Hymenque placebat  
Auricomus, dulcig; sonans cana tibia cantu,  
At nunc arma viris infesta quid induis? an ne  
Vinctum agitas Martem? Veneri certe omnia parent.*

## EIVSDEM.

*Dic mihi quid commune tibi cum Palladis armis  
Bacche, cui est epulis nil prope dulce bonis?  
Ne precor, ô hospes, Dinos hac voce laceffas:  
Quamque probe inter nos conveniamus, habe.  
Et mihi bellorum gratum est decus. Indus id olim  
Sensit ab Occiduo segregus Oceano.  
Nos quoque naturæ hominum producimus, illa  
Flore olei: ipse visus dulcibus, atque mero.  
Sed neque maternis olim dolor osibus hæsi:  
Namq; femur sôni patrum, ut illa caput.*

## IN EIVSDEM OBITVM

POEMATA ALIQVOT AB  
AMICIS CONSCRIPTA.

GERMANI VALENTIS PIMPONTII  
ad IANVM DOVSAM in Elegiam  
sequentem Epigramma.

**F**ruiterius, (nec vana fides) ut carmina, Doufa,  
Audijt, & iuctus trans Acheronta tuos:  
Vsq; suas cœpit me ditando evolvere laudes,  
atque tua in numerum verba præire choris.

Omn

*Quin sua tam docti careat ne carminis arte  
Vrna, suum nollet non obiisse diem.  
Illo aded exemplo mors immatura venire  
Nulla potest, superet dum tua Musa, mihi:  
Præcipitemq; foras fati exturbabo timorem,  
Incolumi atque tua sospite, Doufa; Lyra.*

IANI DOVSÆ NORDOVICIS  
IN OBITVM LVCAE FRUTERII  
BRVGENSIS ELEGIA.

**D**oufa diu fœlix, LVCI, te visus amico,  
Iam sibi dimidium luget abesse sui.  
Et mea iam memorem scalpit tibi Musa querelam,  
Voce bona Manes ter venerata tuos.  
Tecum anima certè perijt pars optima nostræ:  
Tecum mens animi semisepulta mei est.  
Sed quis tam violens in te fuit ille Deorum,  
Qui tua Lethæis ora poposcit aquis?  
Credibile est, illum doctos odisse Poëtas:  
Et bene Palladio non voluisse gregi.  
Mentior, humana dum metior omnia lege:  
Liuor in æternos non cadit ille Deos.  
Credibile est, vitæ, potius, melioris avarum,  
Te desiderium sic habuisse mori.  
Fallor? an instantis metuenti fata ruina  
Dulce fuit nostras anticipare vias?  
Et bene, sed fallor: non hæc tibi causa perire,  
Quamvis hæc etiam causa perire fuit:  
At magis ut prisce posses comes ire poetis,  
De quibus ingenio Lis erat orta tuo.

L 3

Scili-



Scilicet illorum loca desperata notaras:

Restabantq; etiam plura notanda tibi.

Ergo ne dubia semper traherere litura,

Iuisti Elysia regna beata plaga.

Hic latus antiquis Heroibus includentem

Suspicit & Varro, suspicit & Cicero:

Illorum viuus admirabare labores:

Quam bene nunc facto sanctus virumq; tenes!

Stant circum Latij cultu meliore Poeta,

Experti fidas auxiliantis opes.

Certatimq; tui sancto rapiuntur amore,

Et meritò gratum se tibi quisq; facit.

Quid tibi nunc animi credam, quae gaudia nasci,

Plaudere cum Genio cogeris ipse tuo?

Plaudet tamen: sic docte per meruere labores,

Ingenij testes quos decet esse tui.

Hoc dabit, o, docti non irrita cura Rogettis:

Nec labor hic nobis inuidiosus erit.

Atque vinam quantum cupio, possem quoque Luci:

Non potior cordi cura sit vlla meo.

Quod possum, te nocte canam, te luce, nec vnquam

Lassus erit nomen Douisa vocare tuum.

Donec & ipse, sibi quod te putat esse paratum,

Commanum tecum sit simul hospitio.

Nunc tamen interea confusa pignora mentis,

Quae tibi dat tremula nostra Thalia manu,

Accipe, sed solito pro me mea carmina vultu:

Nosq; sub ingis opperiar e ingis.

EIVS.

## EIVSDEM LVCAE FRUTERII

EPITAPHIVM AVTORE VICTORE  
GISELINO.

**V**iator adsta, & si vacat, lege paucula,  
Multa ut resciscas. Tumulus iste Gratijs

Novem & sororibus sacratu Fruterium

Tegit, illum amorem Gratiarum amabilem,

Novem & sororum. Brugis ipsum nobili

Beavit ortu. Gauda facilem vim ingenij

Dedit artibus madere liber alibus.

Louanium & Lutetia vsque in vltima

Antiquitatis intima peneitalia

Sabire, & inde, quae viri doctissimi

Quique adprobarent, arte summa expromere.

His tam auspiciatis iniurij fata impia,

Fata impia inquam inuiderunt, illa iuueni

Quintum ante lustrum fila secuere aurea.

Quid obstupefcis? an nouam aut mirum id tibi:

Fuit Poeta, sic suis lumina oculis

Reliquit olim Valerius, sic memoria

Nostra Secundus, taceo ceteros. abi.

## IANI DOVSAE AD VICTOREM

GISELINVM ELEGIA, ARGV-  
MENTO superiori subseruiens.

**N**E vinam Giseline, tuo si dulcius vsu,  
Si genio quicquam suauius esse potest.

Testis ego, & quotquot sancti tibi nomen amoris,

Aut tenor alterna iunxit amicitiae.

L +

Sed

Sed quid opus versu longo deducere, quantum  
 Debeat officij ille, vel ille tuis?  
 Mi satis est, totum tibi me debere, fateri,  
 Et meritis grates ore referre tuis.  
 Cre inguam, non re: quid enim tibi solvere nostra  
 Prò tam sincero fœdere bulga que, ut?  
 Seu subit vnanimò natum bene pectus amori,  
 Sive voluntatis millia multa tua.  
 Est aliquid sociasse operam, totie sique relictas,  
 Præ quod ego volui, res habuisse tuas.  
 At quota virtutum pars est tamen ista tuarum?  
 Maius opus Fannii non tacuisse dolos;  
 Verbaque Fruterice prima ingessisse familla,  
 Nec dubiam sacris exhibuisse fidem.  
 Non mihi Fruterium reddendo plura dedisses:  
 Hoc quoque Fruterium reddere parè fuit.  
 Quis scit, an & tanti non immemor ille patroni,  
 Ardierit questus trans Acheronta tuos?  
 Audiuisse reor certè, numerosque piorum  
 Et docuisse sacros, & didicisse modos.  
 Multi ambo, multi este pari vos inter honore,  
 Fruteri apud Manes, Victor apud superos.  
 Iam vos Elysia discunt resonare capressi:  
 Scripta quoque hic Myrtis nomina vestra volant.  
 Quid tamen hæc Gislina iuuant, si Fannius hæres  
 Se premere æterna tot bona nocte cupit?  
 Ille cupit: sed tu Genio communis amici  
 Assertor venias, inijci, sique manus.  
 Tunc ego, damnatus voti, de more sacrabo  
 Prima quidem Nemesi Dona, secunda tibi.

Scis etenim, quàm me mendaci læserit ore,  
 Dum pia prò caris Manibus arma gero.  
 Atque vtinam tantum scires mea vulnera, nec te  
 Lussisset plagijs improbus ille suis.  
 Illa dies nocuit, qua te sibi credere primum  
 Nobile Prudenti nomine suasit opus.  
 Te quoque tunc animos vasa sub vulpe latentes  
 Suspicio, & Geldram perdidicisse fidem.  
 Redde vicem, & lasos vlciscere Victor amores,  
 Et prò te, & socium nomine bella gere.  
 Fors erit, vt tecum veritus committere pugnam,  
 Personam capiti detrahat ipse suo.  
 Hoc melius certè, quàm me temerarius olim  
 Te duce tyronem trudat in arma furor.  
 Parce precor, veteri nec nos include palæstra.  
 Ah satis est, fama te dare vela tua.  
 Sed tamen & me aliquem quondam Gislina fuisse,  
 Postgenitis facient carmina nostra fidem.  
 Nil quererer, præsto si tu mihi, Victor, adesses;  
 Nec mihi te patriæ præripuisset amor.  
 Qui nempe & nobis studium quoque carminis omne  
 Abstulit. hei misero, Victor, ademe mihi.  
 Tecum vnà nostro fugère à limine Musæ:  
 Totaque iam sine te est nostra profana domus.  
 Nec tamen ista mei pars est mihi sola doloris:  
 Nam modò tutorum de leuitate queror;  
 Nunc, qua sarciri possit ratione, requiro,  
 Qua voto peius res mihi structa domi est.  
 Sæpe etiam causis agor, & sine sanguine bellum  
 Hostibus indico Mercuriale meis.

Scilicet, vt longo ductus sufflamine liuis,

Causidica fiam testis auaritia.

Heu referam curas, fomentaque mille laborum,

Omnia quae secum vitæ iugalis habet:

Imiere à quantum est, spumantes inter Iacchos,

Et Phoebam & Phoebi numina posse sequi?

Et sequor illa tamen: quamuis contemtus ab illis.

Iuppiter, vt pessum mos furiosus eat.

Quis furor in lucem vigilēs perferre lucernas,

Et madidum nardo semper habere caput?

Quidue iuuat crudo mentem vincire Lyao,

Verbaque non vnquam sobria posse loqui?

Sed tamen vt tecum liceat certare bibendo,

Ipsè ego seruata pocula lege traham.

Et dabit interdum numerum tua littera nostris,

Interdum cyathis littera nostra tuis.

Ipsè ego ter ternos calyces ex ordine poscam:

Gratior & pausa forsan amystis erit.

Tunc mihi, tunc placeant mensa densiq; trientes:

Tunc sit luxuria caussa probanda mea.

Tunc mihi nec gressus sit non bene ferre pudori:

Et iunct in nullo pondere verba loqui.

At tu spem reditus nobis incidere volens,

Quamprimum nostros ipse reuise lares.

Nec, quod sera tibi veniat mea Musa, queraris.

Sì nescis, vno claudicat illa pede.

Eius-

Eiusdem Parodia Catulliana. In Felles  
literarias.

**T**Agax Lauerna, vosq; Flamines, quantum est,

Dea tagacis, literaria Felles:

Solis putatis esse literas vobis?

Solis licere, quicquid est venustat is,

Interpolare, & ire perditum ex vestra

Lubidine, ac putare ceteros blennos?

An, mutuas quod tradere inuicem inter vos

Iurati opellas, clamq; habere furtiuas,

Silicernij in morem à silentibus cretas,

Hereditates, non putatis ausurum

Flagitia me nudare scilicet vestra?

Pellemq; qua grassamini Leonina,

Introssum a selli, voce proditis ipsa

Detrahere vobis, Mimicamq; personam?

Atqui putate, nam quid? Hipponactao

Præconio omnes, quotquot estis, addictos

Flagij agam, in ipsa noxiâq; deprensos

Manifesto FVRES ME TENERE, clamabo.

Hinc nomina apud Triumuiros sient, saxo,

Vestra, Capitales dico, non Monetales.

Vel eò vsque donec furta ab vnguibus vestris

Reglutinata viderim manus leuæ.

Pomona namque, quam nouissimis caris

Pater ipse, Pisonum ille flosculus, Frugi

Moriens, iugandam liberalibus tedis,

Nobis reliquit, virginem, atque signatam:

Velut hostica vi capta, seruitutemq;

Duëllico iure, heu, coacta seruire

Inge-

*Ingenua cuius, haud probè pudicèq̄,  
 Seruatur istic. hancce conscij quique  
 Ad vos trahentes, Fembeum velut Baccha,  
 Vexatis, rapitis, oppido quasi vestram,  
 Vestram vsu-factam, pessimo hercule exemplo.  
 Bellissimum quodque hinc & inde sublectum  
 Quo iure, quaq̄, iniuria catillantes.  
 Sacrum, profanum, publicum sit, an priuam  
 Sus deq̄, habentes: & quidem (quod indignum est)  
 Omnes patellari, imò semipagani  
 Modò, hordearij q̄, Literatores:  
 Tu prater omnes, alpha Leguleiorum,  
 Larane, quem inter bustuarios Verres  
 Plumis adumbratum, & colore furtiuo  
 Autumnitas Pontana nobilem fecit,  
 Notisq̄, Transrhenana inusta frons Gallis.*

## F I N I S.

## ERRATA, AVT OMISSA.

Pagina 7. linea 1. non debeat. Corrige: cum non debeant.  
 Pag. 25. lin. 30. meretur. Corr. merentur. Pag. 34. lin. 13.  
 & iam. Corr. etiam. Pag. 35. lin. 6. hinc. Lege: hinc.  
 Pag. 51. lin. 6. reian. Scribe: Veiam. Pag. 65. lin. 19. pro  
 me. Lege: per me. Pag. 68. lin. 23. velad. interpone: cum-  
 primis. Pag. 72. lin. 3. erant. Scribe. erant. Pag. 73. lin. 15.  
 & 17. obesse. emenda: obfesse. Pag. 108. lin. 8. subtile.  
 Lege: futile. Pag. 125. lin. 13. homo. dele. Pag. 135. lin.  
 22. vincla. Scribe: vinclo.

## INDEX

## INDEX CAPITVM.

## LIBRI PRIMI.

## CAPVT I.

Festi Pompeij locus  
 emendatus.

CAP. II. Ouidij, &  
 Tibulli loca aliquot emen-  
 data & asserta: & alter Vir-  
 giliij locus vindicatus.

CAP. III. Plautus  
 emendatus.

CAP. IV. Ennij ver-  
 sus repurgari apud Noniũ.

CAP. V. Tibulli loca  
 aliquot emendata.

CAP. VI. De Tibulli  
 quibusdam locis suspicio-  
 nis iustæ.

CAP. VII. Locus Lu-  
 ciliij apud Nonium resti-  
 tutus.

CAP. VIII. Locus Fe-  
 sti explicatus ex iudicio V.  
 D. I O. Aurati.

CAP. IX. Marcialis  
 Epigramma retractatum.

CAP. X. Ciceronis  
 loca aliquot retractata, &  
 asserta aliorum.

CAP. XI. Locus Festi  
 emendatus, & alter expli-  
 catus.

CAP. XII. Ouidij versus  
 vnus alterue interpolatus.

CAP. XIII. Locus Tibul-  
 li disertè emendatus & cõ-  
 lectura, & Veteribus libris.

CAP. XIV. Propertius  
 coniectura emendatus.

CAP. XV. C. Calphurnij  
 Poëtæ locus interpolatus.

CAP. XVI. Festi Pom-  
 peij loca duo.

CAP. XVII. L. Apulei  
 locus vnus correctus, & al-  
 ter illustratus.

CAP. XVIII. Locus Fe-  
 sti sincerè emendatus ex  
 auctoritate Quintiliani  
 Rhetoris.

CAP. XIX. Agellij ali-  
 quot loca.

## LIBRI SECVNDI.

CAP. I. Locus Plauti  
 ex ipso auctore emendatus.

CAP. II. Marci Var-  
 ronis locus apud Nonium  
 restitutus.

CAP. III. Accij Plauti  
 locus ex Festo emendatus,  
 qui nullis libris manuscri-  
 ptis adiuuari potuit, nisi  
 ipsius Plauti Chirographis.

CAP. IV. M. TER.  
 Varronis loca duo apud  
 Nonium emendata.

CAP. V. Ex Fragmentis  
 veterum Poetarum loci  
 plures restituti.

CAP. VI. Albij Tibulli  
 carmen emendatum atque  
 expositum.

INDEX CAPITVM.

- CAP. VII. M. Catonis locus apud Gellium explicus, vique legi debeat indicatum.
- CAP. IIX. Ennij versus apud Gellium integritati suæ restituti.
- CAP. IX. Festi locus ex Nestoris sententia verè emendatus.
- CAP. X. Loca duo Propertij correctæ ex Sosipatri & Diomedis sententia.
- CAP. XI. Næuij Carmen apud Gellium antiquitati suæ restitutum.
- CAP. XII. Festi Pompeij locus.
- CAP. XIII. Laberij versus peruersi, in Trime-tros suos restituti apud Gellium.
- CAP. XIV. Catulli lo-cus examinatus.
- CAP. XV. Pompeij Festi locus expensus & emendatus.
- CAP. XVII. Apulei lo-cus vnus & alter interpola-tus.
- CAP. XIX. Propertij Locus emaculatus & expo-situs.
- CAP. XIX. Ex Colu-mellæ hortulo flores alii quot.
- CAP. XX. Amphitruo-nis Prologus cum cura dis-cussus & fide.
- CAP. XXI. Fragmentum in M. Catonis librum de re Rustica.
- CAP. XXII. In M. Te-rentij Varronis Libros de re Rustica.

F I N I S.

PRIVILEGII

PRIVILEGII CAESAREI SVMMA.

MAXIMILIANI I. Romanorum Imperatoris semper Augusti, publico edicto cautum & sancitum est, ne quis cuiuscunque status, gradus, ordinis, aut conditionis fuerit, quacunq; facti Romani Imperij, & ditionis eius fines patent, quæcunque probatorum auctorum opera, quo quot vel hæcenus nondum impressa, vel ab aliis quidem impressa, nouis autem deinceps scholiis, annotationibus aut commentariis aucta & illustrata, Christophorus Plantinus ciuis & typographus Anuerpiensis primus typis procuderit, intra proximum sexennium à prima cuiusque operis aut voluminis editione, vlllo pacto eiusdem vel diuersi characteris forma excudat, aut excusa ab aliis, intra eiusdem Maximilianij & Imperij fines vendenda importet, seu quouis modo distrabat manifestè vel occultè, sub pœna decem Marcharum auri puri, quarum dimidia fisco Imperiali fraudis vindici, residua verò pars prænominato Plantino cedat, præter librorum ad imitationem impressorum amissionem, quos idem Plantinus vbicunque locorum natus fuerit, per se, vel suos, adiumento Magistratus loci, vel citra, propria auctoritate sibi vindicare, inq; suam potestatem redigere poterit. In cuius rei fidem ipsi Edicto manu subscripsit, & sigillum apponi iussit Cæsarea Maiestas. Datum in ciuitate Viennæ Austriæ, die vigesima prima mensis Februarij, Anno Domini M. D. LXXV.

Subsig.

Maximilianus.

Ad mandatum sacræ  
Cæs. M. proprium

Haller.

PRIVILEGIUM GALLIARVM REGIS.

CAVTVM HENRICI III. Galliarum Regis Priuilegio, ne quis in omni eius regno libros totos, aut in parte, quoscuque Christophorus Plantinus aut nouos excuderit, aut veteres, sed correctos siue illustratos, aut adnotatos, eosce iterum excudat, excudi faciat, aut excusos vendat, idque intra sexennium à cuiusque libri editione. Id autem hoc siue, vt ne idem Plantinus, laborum suorum, sumptuumque meritiissimo fructu priuetur, cogaturque tandem intermittere aut omittere laudabile suum munus, cum detrimento reipub. litterarum, & doctorum. Qui contrà fecerit, sciat paratam librorum confiscationem, aliasque pœnas siue multas, quæ Regijs Edictis continentur. Cum lege tamen, ne ijdem libri quicquam contineant, quod vel Religioni Catholicæ Apostolicæ Romanæ, vel huius Regni Statui aduersetur. Atque huius Edicti exemplar cum fronti aut calci cuiusque operis apponetur, nullus typographorum siue bibliopolarum vllam ignorantiaë causam prætexat. Datum Fontibellaquæ, quinta Augusti. M. D. LXXXII.

*Signat.*


Per Regem

*De Neufuille.*

IVLII

SEVERIANI  
SYNTOMATA  
RHETORICES:

Nunc primùm diligentia & studio  
LVCÆ FRVTERII  
Brugensis in lucem edita.



ANTVERPIÆ,  
Apud Christophorum Plantinum.

M. D. LXXXIV.